



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Tractatus Historico-Juridicus De Præcedentia Controversa
Monachos Benedictinos Inter Et Canon. Regulares S.
Avgvstini**

Stolte, Benedict

Erfordia, 1730


VD18 1179271X


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64547)



2/11
9

Th. 4931.





H

P

E

C

P

A

T

TRACTATUS
HISTORICO-JVRIDICVS
DE
PRÆCEDENTIA
CONTROVERSA
MONACHOS
BENEDICTINOS
INTER ET
CANON. REGVLARES

Collgii S. AVGVSTINI, *s. J. Paderborna*

METHODO FERÈ SCHOLASTICA
CONCINNATVS

J. R. B. à *de Twickel satrapa*
rebmensis
REVERENDO

P. BENEDICTO STOLTE,

ANTIQVISSIMI ORDINIS S. P. BENEDICTI, CONGREGA-
TIONIS BVRSFELDENSIS AD S. MICHAËLEM HILDESII
PROFESSO, IBIDEMQVE P. T. SS. THEOLOGIÆ
LECTORE.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr. MDCCXXX.

S. BASIL. Epist. 73.

COgitavimus, silendum esse, quod & fecimus, quoniam verò Adversarios silentium nostrum eò rapuisse videmus, ut ex illo calumnias (imaginationes) suas confirmârint, nosquè tacere non lenitatis & patientiæ gratiâ, sed, quod ad expromendam veritatem os aperire neutiquam auderemus; ob eam causam scribere tandem coacti sumus, quanquam æquo iudici ad veritatis declarationem ipsa rerum cognitio satis sit; qui enim errorum nos insimulant, ex his paucis perspicuè deprehensi sunt, errantium parti favere.

Ad ZOILVM

Ex S. HIERON. in proœm. *Isaiæ.*

Non ignoro, nos patere morsibus plurimorum, qui (stimulante invidiâ) quod consequi non valent, despiciunt. Sciens & prudens in flammam mitto manum, & nihilominus hoc à fastidiosis Lectoribus precor, ut - - - legant priùs, & postea despiciant, ne videantur non ex iudicio, sed ex odii præsumptione damnare ignorata.

REVERENDISSIMO
AC
PER-ILLVSTRI DOMINO,
DOMINO
BENEDICTO
LÜMAN,
ORDINIS S. P. BENEDICTI,
CONGREGATIONIS BVRSELDENSIS,
MONASTERII S. MICHAELIS HIL-
DESI ABBATI DIGNIS-
SIMO,
SEPTEM ECCLESiarVM IN- ET EX-
TRA HILDESIVM SITARVM PRÆSIDI,
VIRGINEI ESCHERDENSIS MONASTE-
RII COMMISSARIO, DOMINO FVNDI
IN RENSHAUSEN ET STEIN-
WEDEL, &c. &c.

REVERENDISSIME AC PER-ILLVSTRIS
DOMINE,
PATER PLVRIMVM
COLENDE.

F*N*, aduolat ad sinum
Tuum paternum li-
bellus hic, instar ali-
cujus innocenter nocui (Jof.
20.) ad locum refugii; asylum
quærens; en, quæ pia illi est
ambitio, in VENERABILIBVS
TVIS portari vult MANIBVS,
ne offendat, quantumvis in-
nocuus, nemini nocens, nisi
nocenti, verè mel offerens,
quam-

quamvis non sine aculeo, est
enim in materia controversa
Historico-Juridicus; ut histo-
ricus, sat amabilis, ut juridi-
cus, vel potius totus veridi-
cus, nonnullis de more odio-
sus; ergo PATRONVM flagi-
tat, & non alium, quam Te,
Præsul REVERENDISSIME;
CVJVS EXCELSA MENS in
omni quassatione manet im-
mota, quam nulla terrent pe-
ricula, sed acuunt, adversa
nulla frangunt, sed obfir-
mant. Enimverò antè Syra-
cusanus Archimedes extra
universum positus, machinam
mundi è suis Cardinibus,
quam TE à recti tramite di-
vul-

vulserit aut spes aut metus,
gemini rerum humanarum
turbines, humilium duntaxat
mentium myricas concutien-
tes, atque in transversum
agentes. surgat Alexander
Macedo, & quærat ex TE,
uti olim ex quibusdam Ger-
manorum Legatis, quidnam
omnium maximè metuas?
haud quaquam aliter, ac illi,
respondebis: ne coelum ruat;
imò ausim dicere: si fractus
illabatur orbis, impavidum
ferient ruinæ! adeò *Justitiæ*
& *propositi tenax*, quasi Leo
confidens absque terrore
(*Prov. 28. secundum Eccles.*
c. 4.) pro justitiâ agonizaris,
pro

pro animâ tuâ usque ad mor-
tem certas pro justitiâ, quæ,
ut dicit Cassiod. in Ps. non
novit Patrem, non novit Ma-
trem, veritatem novit, per-
sonam non accipit, DEVM
imitatur. *Hoc est, quod in*
TE admiratur Germanicus
orbis, suspiciunt obsequentis-
simi Tui Filii, experitur Lu-
therana Civitas Hildesina,
adversum quam pro aris &
focis TVIS stas firmissimè.

Non igitur neglectò dome-
sticò, peregrini alicujus Nu-
minis favorem quærit hic
Tractatulus, sed NOMINI
TVO nuncupari vult, à quo
satis est accepturus præsidii,
hoc-

hocquè etiam jure exigere au-
det, cum non tam meum,
quàm TVVM se esse gestiat:
TVVS est; quia meus, Filii
TVI annis ab hinc viginti qua-
tuor ORDINI SACRATISSI-
MO geniti; si enim filius sub
potestate Patriâ fructificat
Patri, quia non est perfectè
alter à Patre, atque hic pro
illo in judicio stare tenetur;
certè partus hic meus est
TVVS, & magis TVVS, quàm
meus, cum unius, ejusdemquè
rei Dominium penes duos es-
se non possit in solidum. Leg.
si ut certo. §. si duobus. ff.
commodati. non ergo nega-
bis patrocinium jure tam pro-
pitio

*pitio debitum; hoc est, quod
unicè petit præsens hic libel-
lus, & quod reddere cupit,
est æternum monumentum
meæ filialis Devotionis,
quam hoc publico Documento
testatam volo.*

REVERENDISSIMÆ AC PER-
ILLVSTRIS

DIGNITATIS TVÆ

filius obsequentissimus ¶

F. BENEDICTVS STOLTE.

Licentia.

TRactatum HISTORICO - JURIDI-
CVM DE PRÆCEDENTIA &c.
ab admodum Reverendo P. BENEDICTO
STOLTE, *Benedictino Michaëlitâ Hildesienfi,*
methodô ferè Scholasticâ concinnatum,
& ab infra nominatis Theologis exami-
natum, approbatum, ac luce publicâ di-
gnum judicatum, imprimendi *Joanni*
Christophoro Heringio, Academiae hujatis
Typographo datur Facultas. Erfordiae
die 14. Decembr. 1730.

CHRISTOPHOR. IGNATIVS
de GVDENVS,

EPISCOPVS ANEMORIENSIS,
Eminentissimi, ac Serenissimi Archi-
Episcopi, Principis Electoris Mo-
guntini per Thuringiam, Hassiam
& Eichsfeldiam in Pontificalibus
Vicarius Generalis, Consiliarius
Ecclesiasticus, Suffraganeus Erfor-
diensis, ejusdemque in Spiritualibus
per Thuringiam Sigillifer, In-
signis Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Se-
verum Canonicus Capitularis &
Decanus.

FACULTAS ORDINIS.

Nos SERVATIVS, Divinâ Providentiâ
 Monasterii S. Viti M. in Gladbach, Ordinis
 S. Benedicti Abbas, nec non S. Congregationis
 Bursfeldensis Præses
 Principalis.

Authoritate Ordinis, ac Unionis
 Bursfeldensis Adm. R. P. BENEDICTO
 STOLTE, Monasterii S. Michaëlis
 O. S. Benedicti intra Hildesium Professo,
 ibidemquè SS. Theologiæ Lectori, Librum,
 cui Titulus est: *Tractatus de Præcedentia*
Sc. à SS. Theologiæ Doctoribus
 Lectum & approbatum, typis mandari
 permittimus; In cujus rei fidem has literas
 propriâ manu subscripsimus, & Al-
 mæ Unionis nostræ Bursfeldensis Sigillô
 munitas dedimus Gladbaci 14tâ Octobris
 anno 1730.

(L. S.) SERVATIVS,
 Abbas Gladbacensis,
 S. Congregationis Bursfeldensis
 Præses mppr.

APPROBATIONES COLO-
NIENSES.

I.

PRæsens *Tractatus Historico - Juridicus de Præcedentiâ controversa BENEDICTINOS inter & Canonicos Regulares, Ord. S. Augustini, methodô terè Scholasticâ eruditissimè concinnatus ab Adm. Rdo & Doctissimo Patre BENEDICTO STOLTE, Ord. S. Benedicti, celeberrimæ Abbatiaë ad Stm Michaëlem inclytæ Congregationis Bursfeldensis Hildesii Professô, Philosophiæ ac SS. Theologiæ Lectore Ordinariô, nec non Examinatore Synodali &c. ex nostrâ, tanquam Ordinarii Censoris Librorum autoritate examinatus, ac per infra scriptos Eximios & Eruditissimos Viros diligenter perlectus, & discussus, Orthodoxæ Romanæ fidei, & bonis moribus consentaneus, & dignus imprimis dignoscitur, Quod utiliter Typis publicis demandetur. Signatum Coloniaë 29nâ Octobris 1730.*

JOANNES NEVMANN, J. V. D.

Per. Insign. Collegiat. S. Severini, & Archidiaconalis S. Cuniberti Can. & ad SS. Apost. Decan. Proto-Not. Apostol. Ser. Princ. El. Col. Confil. Eccl. ac per Archi-Diœcesin librorum Censor Ordinarius mppr.

II.

TRactatum *Historico-Juridicum de Præcedentiâ Controversâ* BENEDICTINOS *inter* & *Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini*, methodo ferè Scholasticâ doctissimè concinnatum ab Adm. Rdo & Eruditissimo Patre BENEDICTO STOLTE, O. S. Benedicti, Florentissimæ Abbatiæ ad S. Michaëlem, Inclytæ Congregationis Bursfeldensis Hildesii Professô, & SS. Theologiæ ac Philosophiæ Lectore Ordinariô, nec non Examinatore Synodali &c. nil aut fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium continere, sed diligenti Læctione, atque examine bonum, utilem, & pro charitativâ, debitâquè defensione aptum, prælo etiam dignum judicamus. Signatum Coloniae ad S. Augustinum die vigesimâ secundâ Mensis Septembris 1730.

F. HENRICVS HARGARDT,

Ord. Erem. S. P. Augustini SS. Theol. Doct.
& Professor Publ. Exam. Synodalis, & Provinciae Coloniensis Provincialis mppr.

F. FRANCISC. NEWSORGE,

Ord. Erem. S. P. Augustini SS. Theol. Doct.
ejusdemquè Profess. Ord. & Publ. Prov. Coloniens. Diffinit. Conventus Coloniensis
p. s. Prior mppria,

III.

ET si quidem ego in materia inter Religiosissimos PP. BENEDICTINOS & Canonicos Regulares S. Augustini controversâ libentius abstractivè me habuissem, quippe, qui utrumque prælaudatum Ordinem impensè diligo, atque ob insignia in Ecclesiâ merita, ac singularem Fidei Orthodoxæ splendorem & emolumentum ab eis emanata, magnopere veneror; tamen, cum decenter requisitus fuerim pro approbatione libelli cujusdam intitulati: *Tractatus Historico-Juridicus de Præcedentiâ controversâ BENEDICTINOS inter & Canonicos Regulares S. Augustini* à R. P. BENEDICTO STOLTE, Ord. S. Benedicti ad S. Michaëlem Hildesii Profess. ibidemque SS. Theol. & Phil. Lect. concinnati, id genus officii declinare haudquaquam potui, unde fatum libellum diligenter & accuratè perlegendo, nihil in eodem deprehendi, quod sit contra Fidem, aut bonis adversetur moribus, quin imò quod egregiè demonstret, ac tueatur jura & Præcedentiam Ordinis S. BENEDICTI: quocirca eundem, ut beneficio typi ad pluriùm deveniat manus, dignum esse censeo. In Carmelo nostro Colon. A. 1730. d. 26. Septembr.

F. Vitus à Matre Dei Ord. Carmelit. SS. Theol. D. & Prof. Ord. ac Publ. Exprovinc. & Carmeli Colon. Prior mppr.



APPROBATIO

Sac. Fac. Theol. Almæ & Perantiquæ Moguntino. Electoralis Universit. Erford.

PRÆSENS Tractatus HISTORICO-JURIDICVS DE PRÆCEDENTIA &c. intitulatus, ab A. R. P. BENEDICTO STOLTE, O. S. Bened. ad S. Michaëlem intra Hildesum Professo, ac, SS. Theol. Lectore concinnatus, à Theologis hujatis Universit. attentè & studiosè revisus est, & examinatus; in quo proinde, cum nihil à fide orthodoxâ, vel rectis moribus dissonum contineatur, nihilquè à sacris Canonibus, Ecclesiasticis Sanctionibus, aut Pontificum constitutionibus devium adducatur, imò recensitis hisce illâsis, pacifico & charitativo Stylo conscriptus, susceptumquè de Præcedentia &c. argumentum, pro justâ JURIS BENEDICTINI defensione, non tantum deducat, sed &, quæ hanc materiam concernunt, solidè exhibeat, fundamentaliter proponat, nec non ubique magnis auctoritatibus perdoctè roboret, moderatoquè calamo pertractet: idcirco ad harmoniam & concordantiam tam utiliter, quàm veraciter inter BENEDICTINOS & CANONICOS REGVLARES firmandam, S. Facultas censuit, ut bene fatus Tractatus licitè & liberè prælo subjiciatur, & publicæ luci concedatur. Erfordix 14. Novembr. 1730.

(L. S.) JO. CHRISTOPH HVNOLD,

SS. Theol. Doct. Jud. Eccl. Erford. & S. Fac. Assess.
Sacror. Can. Prof. Publ. Ord. & p. t. Decanus,
nec non Insign. Eccles. Coll. B. M. V. Can. Cap.

APPROBATIO

Eximii alicujus in Sorbonâ
Doctoris.

EGO infra-scriptus Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, S. Congregationis Anglo-Benedictinæ Presbyter & Magister Generalis, Ecclesiæ Bathoniensis Canonicus Regularis, legi & perlegi libellum manu-scriptum, cui titulus: *Tractatus Historico-Juridicus de Præcedentiâ &c.* ab A. R. P. Dno BENEDICTO STOLTE, Ord. SS. P. Benedicti, Congregat. Bursfeld. ad S. Michaëlem Hildesii SS. Theologiæ Lectore concinnatum, eumquæ fidei orthodoxæ, monumentis Ecclesiasticis, bonisque moribus per omnia conformem, & pro bono publico, Ordinisquæ nostri honore, ejusquæ avito vindicando jure, prælo dignum judico. Datum Lamspringæ, die 27. Augusti anno Domini 1730.

DOM. ANSELM. CRATHORN,
de CRATHORN, qui supra.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Q Vanquam non diffitendum,
dicentibus summis Ecclesiæ
Pontificibus, PIO IV. const. *Sedis
Apostolica*, & GREG. XIII. const.
Exposcit. "Lites & controversias"
de JURE PRÆCEDENDI in Ecclesiâ,
præsertim inter Religiosas personas
(quæ relictis vanitatibus, votum
suum in humilitatis spiritu DOMI-
NO, & DEO NOSTRO, qui se pro
nobis usque adeò humiliavit, ut
formam servi acciperet, persolve-
re profitentur) non modicum illi
præclaræ, Deoque præcipuè dile-
ctæ virtuti, quæ est humilitas, labem
infundere, populoquè scandalum
generare;

)

tho-

thores, & rei censendi sunt illi, qui forte suâ minimè contenti, inordinatè primos in Ecclesia ambiunt accubitus, aliosquè, se priores suò a vitò PRÆCEDENDI JURE privare, sicquè ordinem turbare attentant, qui secundùm BALDVM, citatum à LANCELOTO CORRADO in suo *templo omnium Judic. l. 2. c. 9.* tenentur actione injuriarum, quibus & potest, & debet de facto resisti. Tum quia nemo debet parvi pendere suum honorem; suadetur id *Proverb. c. 5. ne des alienis honorem tuum.* Honor enim & vita æquiparantur. *l. Justa Causa ff. de manum.* & honor est maximum bonorum *gl. V. honorem extrav. ad conditorem, de verb. signif. Arist. 4. Ethic.* Contendere autem de PRÆCEDENTIA sibi debitâ, est agere de Jure honoris *cap. 1. de major.* Tum, quia PRÆCEDENTIA est Jus & favor

favor

favor publicus, uti probat BORD.
Theatr. precedent. n. 17. cui nemo
 renunciare potest, *cap. si diligenti 12.*
de foro compet. L. Jus publicum ff. de
pactis. Talis enim cessio inferret præ-
 iudicium toti ordini, cum tale jus
 non tam sit ipsorum Religiosorum,
 quàm totius Religionis, ideoquè
 procedere possit regula: *quod nemo*
potest cedere Juri alterius. PELLIZ.
tract. 8. de jure preced. n. 210. Tum
 etiam, quia PRÆCEDENTIA est res
 gravis momenti, dicentibus DD. &
 colligitur exinde, quia ejus privatio
 est pœna gravis, *cap. mandamus c. 19.*
quest. 3. & alterius PRÆCEDENTIÆ
 jus perturbans, propriam perdit, & in
 ultimum detruditur locum, *cap. fin.*
dist. 93. Ita PVTEVS *l. 2. decis. 449.*
l. 3. decis. 6. CARD. SERAPH. *decis. 22.*
n. 2. GONZAL *ad reg. 8.* CANCELL.
in procem. n. 30. apud GRATIAN.
 1041) 2 discept.

*discept. c. 845. initio, PEYRINVS de
 Pralato c. 1. q. 3. §. un. n. 152. SPE-
 RELVVS decis. 76. n. 2. BORD. Theatr.
 preced. n. 12. Tum denique, quia
 ratio ordinis hoc exigit, Religiones
 enim dicuntur Ordines Regulares,
 eò quod in illis omnia procedere de-
 beant ordinatim, PELLITZ. tract. 8.
 c. 17. Sect. 4. n. 209.*

Et non tantum laudabile est, &
 juri consonum, ut alter alteri præfe-
 ratur. *L. 1. §. 2. eod. ut dignitat.
 ordo serv. l. 12. L. leges 13. de erog.
 milit. annon. MENOCH. l. 2. consil. 126.
 initio. GRATIANVS cap. 845. n. 1.
 §. 2. sed etiam necessarium, quia
 sine ordine omnia confunduntur
*cap. pervenit. 39. II. q. 1. ubi nullus
 est ordo, ibi est chaos, & horror con-
 fusionis, omninò arcendus ab Eccle-
 siâ, utpote Castrorum acie ordinatâ,*
 ex*

ex diversis constante ordinum phalangibus ordinatim compositis.

Ista ordinum in GERMANIA subordinatio (si hæreticorum bella demas) perstabat immota, ac imperturbata, usque dum anno Domini 1673. è Ducali Campidonensi prælo prodiit opus de privilegiis Regularium, Authore D. VIRGINIO ALVISET, BISCONTINO MONACHO ORD. S. BENEDICTI in sacrâ Insulâ *Lerinensium* &c. jam olim in ITALIA impressum, ac approbatum PADVÆ à Commissario S. Fidei, & à Reformatoribus studii PATAVINI. Unicam in opere hoc suo cœterâ (ait EGGER. *Id. Ord. p. 1. Diss. 1. n. 3.*) ab ipsis etiam Adversariis laudatus, historiolum refert à Reverendissimo & Illustrissimo JOANNE PETRO CAMVTZ, Episcopo BELLICENSI in *lib. variet. historic.* conscriptam; hæc, quia lepidum

Rustici de *Canonicorum Regularium* vestitu Judicium continet, tam acriter pupugit praetactae Eximia Religionis nonneminem, ut in aliquâ concionum suarum Dedicatoriâ immoderatae vindictae studio, in universum ordinem nostrum stylo factis intempestivò invaserit. Nec acquievit, sed in edito postea Commentario in Regulam s. AVGVSTINI, turbatâ inter utrumque Sanctissimum ordinem (quæ hætenus inconcussa steterat) pace, Martem accendit, classicum canit, hortatur suos ad præripiendam ubique BENEDICTINIS præcedentiam, cujus tamen jus (ait P. EGGER. l. c.) & possessionem BENEDICTINA RELIGIO hætenus quietam habuit.

Excitati istò Martis tonò, quantumvis irregulari *Regulares Canonici* & GERMANI & GALLI ad arma
 con-

convolabant; sed istorum impetus, agente D. MABILLON MONACHO BENEDICTINO, Congregationis s. MAURI per Decretum Regis christianissimi retusus, exhibetur in hoc tractatu C. 3. §. 4. n. 110. Illorum, sc. GERMANORVM conatus hactenus feliciter sunt elisi per Eximios DD. PP. FELICEM EGGER ORD. S. BENEDICTI, in Imperiali Monasterio PETRHVSIANO professum, SS. Theologiæ & Canonum Licentiatum, ejusdemque SS. Theologiæ quondam Professore &c. &c. Et CORBIANVM KHAMM, ad SS. VDALARICVM ET AFRAM AVGVSTÆ VINDELICORVM professum, SS. Theologiæ Professore &c. &c. Ast quoniam horum DD. opera per inferiorem SAXONIAM parcius sparsa, aut ad manus hujatum DD. *Canonicorum Regularium* non devenere,

aut istorum obduratus est oculus, pergunt hi nunc, ac aliàs unquam impetuosius, specialiter in congressibus Literariis præripere PRÆCEDENTIAM BENEDICTINIS quantumvis antiquioribus. Hinc meritò, uti BENEDICTIVS & *ego me* oppono, & illud repono NABOTHI 3. Reg. c. 21. v. 3. *propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* Si tacuero, certè sceleris arguendus, ob relictum ferè apud omnes contra BENEDICTINOS præjudicium, quia veritas, cum minimè defensatur, opprimitur, & error, cui non resistitur, approbatur. *cap. error. dist. 83.* Nimirum jam concesserant hujates BENEDICTINI, pacis & charitatis ergò, ut sc. in Disputationibus secundum doctionis prioritatem & posterioritatem permixtìm recenserentur *DD. Canonorum Regularium* &

& BENEDICTINORVM Lectores, alii
 secundum professionis ætatem; sed
 quoniam hoc per annos aliquot ob-
 servatò ordine non contenti *DD.*
Canonici Regulares, fœdera rum-
 punt, & omninò præcedere con-
 tendunt, sibimet imputent ipsi, si
 nec hoc, nec illud *eis* modò con-
 cedatur, sed BENEDICTINI Jure suo
 plenissimè utantur.

Sanè observandum nunc BENE-
 DICTINIS, quod monet SALOMON
Eccles. c. 12. non statuas illum penes
te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne
fortè conversus in locum tuum inqui-
rat Cathedram tuam. HUGO CAR-
 DINALIS per locum & Cathedram
 intelligit honorem & dignitatem,
 sive PRÆCEDENTIAM, quam pro se
 quisque servare debet, eam non pro-
 digendo. Unde & PELAGIUS
 Papa II. relatus *cap. nullus 4. dist 99.*

dicit: qui honorem indebitum al-
 teri infert, sibi debitum subtrahit.
 Et ipse COMMENTATOR in Reg.
 S. AVGVSTINI fol. 74. verè sic loqui-
 tur: PRÆCEDENTIA censenda est res
 & causa magni momenti --- ex his
 proin consecrarium est, peccare
 prælatum aut Communitatem, qui
 sibi patiuntur ab aliis injustè eripi
 PRÆCEDENTIAM & honorem de-
 bitum; si enim peccatum sit, inde-
 bitè alienare bona Religionis tem-
 poralia & materialia, quantò ma-
 jus erit, HONOREM, bonis omni-
 bus, & ipsâ etiam vitâ potio-
 rem prostituere? neque hic morari o-
 portet quosdam Religionum fun-
 gos, qui, sicuti otii & ignorantia
 sunt mancipia, ita postremis col-
 locari locis cupiunt ac merentur.
 Quam ipsam COMMENTATORIS
 Doctrinam magis sobriè sequemur

BENEDICTINI, nec eâ injuriosè, ad præripiendum aliis jus PRÆCEDENTIÆ, sed ad tuendum jus nostrum avitum utemur.

Peroptarem certè, motam non esse hanc controversiam hoc tempore, quò ipse Lectoris munere fungor, ne Jus ordinis in meâ indignâ personâ notoriè læsum per me reparari necessum esset, sicquè non cogerer ordini laudatissimo, mihiquè, à puero dilectissimo vel in speciem adversari. Sed vincit hunc affectum *super omnia vincens veritas*. 3. Esdræ c. 3. v. 12. stans pro Religione BENEDICTINA, propter quam reliqui patrem & Matrem, cuiquè adhærere me oportet fidelissimè.

Sed, quid dixi me adversari Ordini? protestor, non adversor Ordini *Canonicorum Regularium*, quem
sum-

PRAEFATIO

summè deprædico & suspicio, sed
contradico illis, qui contra Ordinis
sui regulæ Caput X. lites excitant,
jus alienum turbando, nec enim or-
do extra ordinem saltare gestit, sed
ex eis, qui ordinis sunt, nonnulli or-
dine suo non contenti, aliorum or-
dinem invadendo, PRÆCEDENTIAM
quærunt extraordinariam, moti au-
thoritate & rationibus præcipuè su-
pra memorati Authoris COMMEN-
TARII in Reg. S. AVGVST. quas in
hoc meo Tractatulo enervare con-
tendo, quantumvis certè incursum
istorum odium, quod veritas pare-
re solet; „Credite mihi (ait GER-
„SON in epist. quâdam ad studentes)
„amarissima est veritas, sed nescio,
„quò pacto apud nullos amplius,
„quàm apud literatos, qui sapien-
„tes sunt in oculis suis, apud quos
„omnis vel admonitio charitativa,
vel

vel fraterna correctio contume-
 liosæ, vel vindicandæ deputatur in-
 juria. Quamvis & plurimum alio-
 rum aliquali indignationi prævi-
 deam, minimè me subtrahendum,
 est enim veritas (ait STELLA de
contempt. mund. p. 2. c. 60.) sicut
 aqua lustralis, quam omnes flagi-
 tant, sed, cum spargitur, quisque fa-
 ciem declinat. Sed, quid faciam?
 Veritas os referat, & invitam lin-
 guam conscium ad eloquendum
 pectus impellit; VERVM enim in-
 venire volumus, non tanquam ad-
 versarium aliquem convincere. s.
 HIERON. *adversus Lucifer. c. 7.* ve-
 ritas solis instar latere nescia, docen-
 te S. AVGVSTINO, nec reprehensio-
 nem timet, nec scandalum, nul-
 lus reprehensor formidandus est
 amatori veritatis; etenim aut ini-
 micus reprehensurus est, aut ami-
 cus?

„cus? si inimicus, ferendus est, ami-
„cus autem, si errat, docendus est
„& audiendus *L. 8. de Trinit.* Si
„autem de veritate scandalum su-
„mitur, utiliùs permittitur, nasci
„scandalum, quàm veritas relinqua-
„tur.“ *L. de arbitr.* Insuper juxta
EVNDEM *L. de agone CHRISTI:* „qui
„veritatem occultat, & qui prodit
„mendacium, uterque reus est; il-
„le, quia prodesse non vult, iste,
„quia nocere desiderat.“ Quibus
permotus, nolens, volens calamum
arripio, pro justâ Juris BENEDICTINI
defensione Tractatulum in publi-
cum profero, & SAXONIÆ nostræ
inferiori expono, quem rectè histo-
rico-Juridicum appello, multa enim
continet historica, & ipsum jus PRÆ-
CEDENTIÆ, quod tractat, ad jus per-
tinere, nemo ibit inficias. Author
hujus opellæ sum, vix aliter ac Archi-
tectus

tectus ædificii compacti ex lapidibus
 & lignis aliunde desumptis, unde nil,
 nisi constructio, per Deum, mea est,
 cœtera suis fideliter attribuo Au-
 thoribus, *benignum enim & plenum*
ingenui pudoris est, ait PLINIVS,
fateri, per quos profeceris. EVITO
 solerter illud scribendi cacoëthes,
 quô (ut ait P. COELESTINVS PLEY in
præf. sui cursûs philosophici) oble-
 ctari solent triobolares Critici, sed
 temperatâ cum necessitate mode-
 stiâ, nudè veritatem, nil contra
 mentem adfero, usus stylo simplici,
 quia *veritatis sermo simplex est.* Si
 quis tamen professione, vel affectu
Canonicis Regularibus addictus, me
 paulò acrius hîc & nunc locutum
 censeat, illius S. AVGVST. *ep. 147. ad*
 PROCVLIANVM meminert: „Si“
 FRATER EVODIVS (BENEDICTVS)“
 aliquantò pro suæ Communionis
 defen-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

„defensione turbator, aliquid elatiùs
„animo commotiore dixisset, ætati
„hominis, & necessitati causæ oportet te ignoscere. Si quid in disputando pro fide suâ & charitate Ecclesiæ (*pro hereditario PRÆCEDENTIAE Jure, & ordinis sui charitate*) dixerit fortè ferventiùs, quàm TVA GRAVITAS nollet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est, quæ de superbo animo non processit.“ Sic fave & vale.



TRA-



TRACTATUS
 HISTORICO - JURIDICVS
 DE
 JURE
 PRÆCEDENTIÆ
 CONTROVERSO MONACHOS
 BENEDICTINOS INTER ET CANO-
 NICOS REGVLARES ORDINIS
 S. AVGVSTINI.

CAPVT PRIMVM

De Antiquitate utriusque
 Ordinis.



Seudo - prophetes ille SEDECIAS
 (q. d. *Iustitia Domini*) Regem
 ACHAB (q. d. *Frater Patris*)
 adulatoriè animaturus contra
 Syriam (q. d. *excelsa, sublimis*) fecit sibi cor-
 nua ferrea, & ait: *his ventilabis Syriam, do-*

A

nec

nee conteras eam, omnesquè prophetae similiter prophetabant. 2 Paral. 18. Vix absimiliter Author ille Commentarii in Regulam S. AVGVSTINI sub nomine & prætextu Justitiæ, confratres suos ejusdem electi Patris sc. S. AVGVSTINI Filios animaturus contra BENEDICTINOS assumpsit sibi (an ab alio quopiam emendicârit, non disputo) cornua *, suo judicio ferrea, antiquitatem scil. sui ordinis & clericatum, quem vocat essentialem; quibus putat posse ventilari excelsum & sublimem in Ecclesia ordinem S. BENEDICTI, huncquè, utpote suo arbitrato Juniorem & merè Laicalem de Jure nullâ præcedentiæ prærogativâ gaudere, sed cedere loco debere, ipsosquè *Canonicos Regulares præstare Monachis*, quantum homo cœteris animantibus & ipsa pulcherrima sponsa gregibus ovium. uti loquitur fol. 74. quia autem DD. *Canonici* plerique nunc similiter prophetare videntur, ventilemus parùm per ista eorum cornua,

* NB. Arma *Commentatoris* in facie mundi Symbolici depicta monstrant arietem cornutum posterioribus insistentem pedibus, ut limites suos jamjam translientem.

nua, videamusquè quid habeant roboris.
Sit ergo

§. I.

Ostenditur Ordinem S. Benedicti
esse antiquiorem.

I. DICO. Ordo BENEDICTIVS
est antiquior ordine *Canonicorum Regula-
rium S. AVGVSTINI.*

Probatur: Ante Sæculum undecimum
nullus *Canonicus Regularis S. AVGVSTINI,*
quales sunt moderni, fuit sub sole; ergo
ordo BENEDICTIVS, natus vix exspi-
rante sæculo quinto, est multò antiquior.
Antecedens probatur, texendo breviter &
fideliter historiam de origine *Canonicorum
Regularium Ordinis S. AVGVSTINI.*
Lectorem autem præmonitum hìc ve-
lim, hoc in puncto me cum Exim. D. P.
CORBINIANO KHAMM, Ord. S. P. Bene-
dicti ad SS. *Vdalricum & Afram Augustæ
Vindellicorum* professo, secutorum præ cœ-
teris ductum GERARDI DVBOIS, Ord. S.
*Oratorii presbyteri & in insigni Ecclesia S.
Martini Turonensis Præpositi de Sodobrio no-
bilissimi Historiographi;* Item THOMASSI-
NI, ejusdem Ordinis etiam viri doctissi-
mi;

mi; denique D. JOANNIS MABILLON, rei antiquariæ Rimatoris accuratissimi, BENEDICTINI quidem, sed talis, qui teste GERBESIO Doctore Sorbonico & Professore Regio, toti mundo Justitiam administrat, absque personarum acceptione, aut ullâ partialitate, quemquè ipse LVDOVICVS XIV. Galliarum Rex subinde in plurimorum procerum præsentia digito demonstrans religiosum in suo regno humillimum & doctissimum proclamavit. Ne autem citationum proluxa varietas confusionem pariat, rem compendiosè dabo. Qui accuratiorem, pleniorèquè desideraverit probationem, lustret ipsos fontes, è quibus hæc derivantur, nempe GERARDI DVBOIS Historiam Ecclesiæ Parisiensis anno 1690. typis editam; THOMASSINI veterem & novam Ecclesiæ disciplinam Lugduni Ao. 1706. impressam p. 1. l. 3. de Clericorum & Monachorum congregationibus. MABILLONII gem. apolog. pro Benedictinis.

2. His ergo facem præferentibus, dicendum est; *Ly Canon*, primitus fuisse vocem castrensem, Historiographis usitatissimam, quâ designabatur, & Catalogus militum,
&

& portio annonæ cuique debita, translata est postea hæc vox (sicut & *Ly stipendium*) è castris ad Ecclesiam, perquæ Canonem intelligebatur Ecclesiæ matricula, & portio reddituum, cuique isti matriculæ inscripto debita; dicebatur Canonica (cujus vocis frequens adhuc in jure est mentio) quiquæ tali matriculæ erant inscripti deque Ecclesiæ redditibus participabant, dicebantur Canonici, qualescunque essent Ecclesiæ, sive Cathedrales, sive tantum Parochiales. Quamvis enim etiam Decreta Conciliorum vocabantur Canones, latinè regulæ, tamen Clerici exinde non dicebantur Canonici, sicut modò parochi, aliiquæ Clerici alicui sacello sive Ecclesiæ non collegiatæ addicti, quantumvis sacris canonibus subjecti, non dicuntur Canonici, & nec tunc Clerici Oratoriis Magnatum, à quibus temporaliter sustentabantur, servientes. Sicquæ ante annum septingentesimum non alii, quàm matriculæ Ecclesiæ, è cujus stipendiis alebantur, inscripti vocabantur Canonici.

3. Fuère quidem primis Ecclesiæ sæculis, qui clericos ad Communem redigere vitam tentârunt, nimirum in Oriente

ATHANASIVS Patriarcha Alexandrinus, qui floruit anno 340. hujus æmulus EVSEBIUS Vercellensis florens anno 370. teste S. AMBROSIO L. 3. epist. 25. " Primus in Occidente vitam monasticam cum clericâ conjunxit, ut in Civitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejuniis sobrietate; multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & ad normam integritatis juventutem adstringat, & versans intra urbem, abdicet usum urbis & conversationem." Sed hoc vitæ genere mox cum EVSEBIO expirato, S. AVGVSTINVS EVSEBIVM imitatus (ait CAROLVS à MANSFELD ad SS. Michaëlis & Gudulæ apud Bruxellenses Canonicus in manu ductione ad vitam Canonicam lib. 2.) monachatum clericatui restituit. Verùm (uti pergit postea fol. mibi 135.) quòd res humanæ in omnem mutationem semper pronæ sint, temporis successu omnimoda illa communis & Apostolicæ vitæ societas immutata est. Nec mirum, cum sine certâ aliquâ & determinatâ regulâ, uti nec ars, ita nec talis status stabilis esse & perseverare possit. vide infra §. 4. n. 31.

4. Tempore autem PIPINI anno 752.
in

in Regem Galliaë creati, cœperunt clerici
 rursus congregari in communem vitam,
 operâ & sub regulâ CHRODOGANGI
 (HERMANNO *contracto* Rodgangi, THRI-
 TEMIO *Rugrandi*, aliis *Godegrandi*, aliis
Chrodegandi) Episcopi Metensis anno 757. de-
 functi, quam ipse tum ex Conciliorum De-
 cretis, tum ex *Regula* s. BENEDICTI pio
 furto, ait THOMASSINVS, & tacito BE-
 NEDICTI nomine desumpserat, quæquæ
 regula teste eodem THOMASSINO anno
 789. in *Concilio Aquisgranensi*, *Moguntinensi*
 anno 813. observanda clericis præscribitur.
 Deinde teste ADEMARO anno 816. ad
 mandatum LVDOVICI *Imp.* regula quæ-
 dam ex SS. PP. Scriptis per AMALARIVM
 Diaconum excerpta in altero *Concilio A-*
quisgranensi approbata, data est Canonicis
 observanda; & est eadem propemodum
 (sunt verba THOMASSINI *p. 1. l. 3. n. 9.*)
 atque regula CHRODOGANGI. ipsissima
 enim verba regulæ CHRODOGANGI *Concilio*
isti Aquisgranensi à cap. 115. usquæ ad c. 125.
 inserta reperiuntur.

5. Clerici igitur secundum talem regu-
 lam in communitate vel sub Episcopo vel
 Præposito vel alio Prælato viventes, dice-

bantur Canonici non ampliùs præcisè, quia Canonici, seu Matriculæ Ecclesiæ inscripti, sed quia sub regula, græcè *Canon*, vivebant; & ad distinctionem Monachorum, qui etiam communiter & collegialiter degentes, dicebantur simpliciter & convertibiliter vel Monachi, vel Regulares; Regulares enim omnes erant Monachi, & omnes Monachi Regulares, & canonicè vivere, & regulariter vivere, erant contradistincta, uti variè ex variis etiam Conciliis sc. *Verno* sive *Vercellensi* anno 755. *Aquisgranensi* 789. *Moguntinensi* 813. *Remensi* 813. *Arelatensi* eodem anno 813. *Tuineni* 815. *Cabilonensi* &c. probat THOMASSINVS, ita ut ante annum millesimum omnes in communitate viventes fuerint vocati aut Canonici sc. degentes sub regulâ vel *Chrodogangi* vel *Aquisgranensi*, aut Regulares vel Monachi, viventes sub regulâ S. BENEDICTI: de tertio vivendi genere Canonicè simul & regulariter, unde & nominentur *Canonici Regulares*, nulla unquam, nec in Bullis Summorum Pontificum, nec in Conciliis, nec in SS. Patribus, nec in tabulis originalibus, aut instrumentis authenticis facta est mentio, sicut nec *Regulæ* S. AUGUSTI-

GVSTI-

GVSTINI. Scrupulis hinc insurgentibus fatisfiet postea, ne filum Historiæ hic inconcinnè abrumpatur.

6. Sæculo tandem undecimo ordini & nomenclaturæ *Canonicorum Regularium* occasionem dedit *Congregatio* s. RVFI, quæ (testibus MABILLONIO in *Apolog.* fol. 51. & Præposito DVBOIS in *auctario historiæ Parisiensis* fol. 78. & 79.) in *Ecclesia Avenionensi* ao. 1030. fundata ab ARNOLDO, ODILONE, PONTIO & DVRANDO, Zelosis Ecclesiæ istius Cathedralis Canonicis, BENE-DICTO I. Avenionensi Episcopo Abbatiam s. RVFI (unde ista *Congregatio* nomen accepit) eis donante; ubi prænominati quatuor Canonici vitæ communi antiquorum Canonorum sub regula vel *Chrodogangi* vel *Aquisgranensi* degentium (nam *Chrodogangi* ad tria vota non obligâsse, patet ex ejus *cap.* 42. nec *Aquisgranensem*, patet ex *Concilio Aquisgranensi* *Can.* 115. & 122.) addiderunt promissionem trium religionis votorum ad exemplum Monachorum, unde & Regulares seu Monachales cœperunt dici; nondum tamen s. AVGVSTINI, cum nulla de s. AVGVSTINO aut ejus *Regula* in initio hujus institutio-

nis neque in chartis & concessionibus ipsi congregationi factis, neque in GREGORII VII. literis teste MABILLON, fiat mentio. Item " Nos, inquit idem MABILLON *in Apol. fol. 14.* præ manibus habemus pervetustum Manuscriptum, quod exhibet regulam Aquisgranensem absque regula S. Augustini cum forma professionis Canoniorum Regularium prorsus concordante cum modo & Ceremoniis professionis Benedictinorum." quod similiter refert TOM. 4. *annal. S. Benedicti p. 586.* ubi & formulam istius professionis designat his verbis: " Ego Frater N. Sacerdos aut Clericus vel Conversus stabilitatem corporis mei Ecclesie Beati N. promitto coram Deo & sanctis, Reliquisque ejusdem Ecclesie in presentia Prælatorum Domini N. & N. & ceterorum fratrum, & emendationem morum meorum, præcipue in castitate, in comunione, in obedientia, secundum gratiam mihi collatam à Deo & facultatem virium mearum. *Additque* MABILLON: hæc professio communionis seu communis vitæ fiebat præmissis iisdem ferme precibus ac ritibus, ut monastica.

7. Primitus ergò sub VRBANO II. anno 1087. in summum pontificem electo regula s. AVGVSTINI in Bullis pontificiis cæpit notari. postquam B. PETRVS DAMIANI *Fontis Avellani Ordinis* s. BENEDICTI *Monachus & Prior, ex Priore Cardinalis & Episcopus Ostiensis*, qui obiit anno 1072. aliis 1080. ex duobus s. AVGVSTINI sermonibus, nimirum *de moribus, & de communi vita clericorum*, regulam confecerat, urseratquè ALEXANDRVM Papam II. (utì testatur *ep. 16. ad eum data*) ut clerus à Regula Aquisgranensi multùm deficiens (eam tamen contra ipsum prætendens) obligaretur secundùm Regulam ex s. AVGVSTINO desumptam ad voluntariam paupertatem. huncquè ejus instinctus habuit effectum, ut in *Concilio Romano anno 1063. celebrato* statueretur, clericos Ecclesiarum collegiatarum oportere communiter vivere. videatur etiam BARONIVS *ad ann. Christi 1063.* quæ tamen constitutio non fuit universaliter recepta. Qui ergo regulam istam ex s. AVGVSTINO desumptam, Canonemquè hunc sequebantur, dicebantur *Canonici Regulares* s. AVGVSTINI.

8. Æmu-

8. Æmulus B. P. DAMIANI, aut potius imitator fuit in Gallia teste MABILLON *annal. Bened. tom. 4. s. IVO Carnotensis Episcopus*, qui floruit anno Dni 1090. & S. AVGVSTINI regulam propagasse fertur, propterea dictus *Canonicorum Regularium s. AVGVSTINI tum Reformator*, uti sentit LERBECCIUS in *Chron. Mindensi*, tum institutor usque adeò secundum alios, contradicente tamen THOMASSINO & probante, IVONEM non S. AVGVSTINI, sed S. QVINTINI Regulam esse securum. Sciendum enim, præter regulas celebriores *chrodogangi & Aquisgranensem*, alias antiquitùs fuisse regulas, secundum quas particularia quædam *Canonicorum Collegia* vixere. Sic anno 1063. Ecclesia S. *Stephani* per chartam HVGONIS *Episcopi Nivernensis* fuit donata Clericis vitam communem sectantibus juxta regulam S. *Sylvestri PP. anno 1085.* Canonicis in Diocesis *Augustanæ Monasterio Bavariæ Hegibach* (nunc collegiatæ Ecclesiæ in *Habach*) regulariter manentibus tradita sunt statuta regulæ *NORTPERTI Episcopi Curienfis.*

Omnes tales talem aliquam regulam
sectan-

sectantes Canonici, & inde dicti Regulares à posteris scriptoribus communi errore dicuntur s. AVGVSTINI, quia nempe eis constat, illos illa æmulatos esse instituta (utì loquitur THOMASSINVS) quæ regulæ s. AVGVSTINI adscribuntur.

9. Successu verò temporis regulam modernam (quam haustam esse ex ep. 109. convenit inter doctos, ait SIMON WERLINVS *Can. reg. Præpositus Diessensis in annot. ad cap. 1. reg.*) monialibus à s. AVGVSTINO scriptam, à s. BENEDICTO Ord. *S. Benedicti Anianæ* primùm, postea *Indensis Monasterii Abbate olim regulæ S. Benedicti* accommodatam, nondum tamen viris datam, postea pleniùs viris adaptatam tradidit s. ARNVLPHVS *Episcopus Leonis Franciæ, ao. 1117.* utì ex RODERICO & PAREBROCHIO colligit CORB. KHAMM. p. 3. *Hierarch. August. relat. 1. observ. 2.* Hanc Regulam suscipiens in Italiam introduxit s. VBALDVS per HONORIVM II. *ab anno 1124. usque 1130. claves tenentem EVGBINÆ Civitatis in Vmbria creatus Episcopus,* utì etiam meminit Breviarium die 16. *Maji.* Et Angliam intrabat idem secundùm istam normam vivendi modus sub Rege HEN-

HENRICO I. circa *annum Domini 1128.* ante ista HENRICI tempora nullus Canonicus regularis s. AVGVSTINI *Hipponensis* in Angliâ fuit inventus, negare tamen non ausim, Monachos Benedictinos in Ecclesiam Cantuariensem &c. à s. AVGVSTINO *Angliæ Apostolo* BENEDICTINO introductos non rarò dictos Canonicos regulares s. AVGVSTINI.

Promovit s. AVGVSTINI regulam in Germania *Gerobus* Canonorum Regularium Præpositus *Reicherspergensis*, vir omnigenâ virtute & scientiâ præditus, qui floruit *anno 1133.* cum enim in nullo *Bavariæ* Monasterio (teste *RADERO* in *Bavaria* s. vol. 2.) regulam s. AVGVSTINI inveniret, sed tantum excerptum quoddam è dictis SS. PP. & de vita Canonica (quod regula *Aquisgranensis* fuisse videtur, quæ in *concil. altero Aquisgranensi liber de vita Canonica* intitulatur) inveniebat, dicente vetustissimo *chronico Reicherspergensis*, cum quibusdam fratribus Romanum adiit Pontificem, & istam s. AVGVSTINI regulam impetravit. Videantur citati verè irrefragabilis fidei authores. Nunc pro-

propius ad nostra confinia accedentes aliorum fidem imploremus.

IO. NOVUS iste S. AVGVSTINI ordo non minùs propagabatur per Saxoniam; REINHARDVS enim *Episcopus Halberstadiensis chronico Halberstadiensis* sic referente: in Saxonia primus author fuit communis vitæ secundùm regulam B. AVGVSTINI institutæ. Quatuor ergò Canonicorum Regularium instituit congregationes, duas verò in Hamersleben & in Rattenborn (anKaltenborn.) à fundamentis instituit, & pro posse eas ditavit. In Civitate verò Ecclesiæ B. Joannis Baptistæ Canonicis non Canonicè viventibus, & in Scheninge Sanctimonialibus non Sanctè viventibus cum Discretionè remotis, Canonicos Regulares ordinavit mortuus est hic Episcopus anno Domini 1122. 6. non. mart. derivârat REINHARDVS istud vitæ institutum ex Monasterio S. VICTORIS in suburbio parisiensi noviter fundato.

II. REINHARDVM æmulatus *Bruningus* anno 1116. electus *Episcopus Hildesensis* introduxit *Canonicos Regulares Ord. S. Augustini* in locum *Sultam* vocatum propè *Hildesem,*

desem, ubi s. GODEHARDVS ex Ordine S. *Benedicti* quondam etiam *Episcopus Hildesimensis* anno 1024. expulsis Dæmonibus in honorem s. BARTHOLOMÆI Ecclesiam pro presbyteris & Clericis Sæcularibus, simul & Xenodochium pro pauperibus suscipiendis, construxerat. BVSCHIVS de *Reform. Monast.* c. 13.

Eodem anno 1116. fundatur Monasterium novi operis propè *Halim Saxoniam*. MEIBOM. in *Chron. Riddagsbus.* n. 9.

Anno 1120. THEODORVS Comes *Gribensis* conjuge sua AMELRADA in *Diecepsi Magdeburgica* fundavit Monasterium *Ammensleve* pro *Canonicis regularibus Ord. S. Augustin.* uti patet ex Bulla HONORII II, quæ reperitur inter antiquitates *Hammerslebienses* (annales dicti Monasterii volunt fuisse collegium *Canonicorum Sæcularium*)
 „ sed piis istis fundatoribus demortuis, ait
 „ MEIBOM. in *Chronico Bergensi* n. 15. eorum
 „ liberi seu Hæredes, HERMANNVS
 „ & OTTO, fratres à NORBERTO Archiepiscopo *Magdeburgensi* *Monachorum præmonstratensium* Patriarcha mutationem loci in melius, ut sperabant, impetrârunt,
 „ sic ut *Canonicis* *Monachi* succederent
 „ Be-

Benedictini anno 1129. qui & nunc ibi⁶
Deo famulantur.⁶

Anno 1125. BERTOLDVS *Episcopus Hil-*
desiensis XIX. de consensu fratrum suo-
rum, (verba sunt BERTENII in *Chronico*
Marienrodensi) instituit congregationem
Clericorum secundum regulam S. AVGV-
STINI viventium in antiquissima villa,
quæ novale *Backonis* sive *Backenrode* dice-
batur, nunc *Marienrode*. Illis autem postea
à fervore deficientibus & extirpatis, à JO-
ANNE *Episcopo XXX.* in Ord. Cistercien-
ses sunt substituti.

12. Anno 1136. Monasterium *Richenber-*
gense fundatur ab aliquo, PETRO *Canonico*
Ecclesiæ Goslariensis, uti refert pervetustum
Chronicon Goslariense sequentibus verbis:
In deme teynden Jare synes (id est *LOTHA-*
RII Imper. creati anno 1126.) *Rikes, Petrus*
ein Canoneck tom Münster (id est *Ecclesiæ col-*
legiatæ Goslariensis, quæ latinè *Monaste-*
rium, Germanicè tum vulgò: *dat Münster*
Goslarie fuit nuncupata, uti patet ex *LEIB-*
NITZ introd. in tom. 3. n. XVI. pag. 13. & in
ipso tomo 3. pag. 751.) *stichtede dat Closter*
tom Richenberge geistliker Canonecke, unde
besti id erliken begiffiget. dicitur *geistliker*

Canoneke, nempe regularium, ad distinctionem Sæcularium, qui *Ecclesiam Goslariensem* incoluere; & in eodem chronico dialecto Saxonica conscripto dicuntur: *Wertliken Canonecke* apud LEIBNITZ l. c. pag. 426. § 751.

13. CONRADVS hujus nominis II. Imperator, qui regnavit ab anno Domini 1025. usque 1040. fundasse montem S. GEORGII dicitur in cit. Chron. Goslariensi, his duntaxat verbis: *Düsse (CONRADVS) hefft gestichet den Fürgenberg*, item ab HEINECCIO in antiqu. Goslar. nondum tamen pro *Canonicis regularibus Ord. S. AVGVSTINI*, utpote nondum existentibus, uti patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis; sed pro Clericis tanquam Monachis in communitate viventibus, quales & à MATHILDE (in CAROLI MADERI compil. chron. legitur *Melchilde*; LEIBNITZ autem in *introduc.* ad tom. 2. n. X. legit *Mechild.*) HENRICI AUCVPIS conjugis instituti erant in *Northusen*, quorum meminit citatum *Chronicon* sub initium, sic habens: *Na syneme (HENRICI) dode Mecheld sin busfruwe hefft gestichet ein Closter to Northusen van wertliken Funckfrawen, unde van geistliken personen alse Mōneke.* Tales adin-

adinstar Monachorum degentes incoluere montem S. GEORGII, usque dum circa annum Domini 1146. in verè regularem statum (sicut & virgines *Heniggenses*) redigerentur à GERHARDO *Præposito*, *Reichenbergensi* anno 1152. defuncto, uti etiam non obscure colligitur ex sequentibus *Chronici Stederburgensis* verbis: “Hic igitur tantus ac talis vir (GERHARDVS) dum in prædicta Ecclesia (*Reichenbergensi*) pastoris fungeretur officio, Ecclesiam B. GEORGII informem & quasi de nihilo in bonum statum, ut modò cernitur, levavit, & Deo in ea famulantes tam in ædificiis, quàm in aliis utilitatibus efficaciter adjuvit. Ecclesiam in *Henigge* sollicitè procurando sublimavit, ac de sæculari conversatione inclusas faciens in melius commutavit.”

14. Anno Domini 1176. WULFFRAMVS Abbas *Monasteriorum Werdinensis & Helmstadiensis* fundavit & construxit Ecclesiam S. Mariæ in monte propè *Helmstede* pro regulari vita *Canonicarum S. AUSTINI* Episcopi. Sic legitur in quodam diplomate, sive privilegio *Werdinensi*, quod habetur in codice *Bibliothecæ Au-*

gustæ Welfebytane. Confirmantur hæc ab HENRICO MEIBOMIO *Historico per celebri in chronico suo Riddagsbusano n. 9. dicente: istum ordinem Canonorum regularium S. AVGVSTINI noviter ortum ex Bavarix Monasterio Reichersperg, in Saxoniam colonias deduxisse, quia nempe moderna s. AVGVSTINI regula ex isto Bavarix Monasterio per Saxoniam est propagata in nova Monasteria Canonorum regularium.*

Non docebit probata aliqua historia Monasterium quoddam sub regula s. AVGVSTINI ante sæculum undecimum esse fundatum; quamvis non diffitear, reperiri monasteria utriusque sexus ante illud sæculum constructa, quæ à chronologis appellantur Ord. s. AVGVSTINI, non quia jam à tempore foundationis in eis vivebatur secundum regulam s. AVGVSTINI, sed per quandam anticipationem tantum, quia clerici vel virgines in eis communiter viventes postea regulam s. AVGVSTINI accepere, quod infra magis explicabitur.

15. Hinc PETRVS ABÆLARTVS V. ABAILARDVS *ao. 1142. defunctus lib. 1. epist. 33. & 34. Canonicos regulares vocat filios novos; item in Epist. 3. fol. 236. Canonico-*
rum

rum regularium institutum vocat novum, inquit: Cur & vos ipsi Canonici regulares, à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, magno ambitu murorum claustra vestra sepientes, more Monachorum, ab illecebris & tentationibus seculi manetis divisi?

Dices: ABAILARDI testimonium non esse authenticum. Resp. cùm HÆFFT. *Disquis. Monast. Tract. IX. disq. 8.* non me latet, viri hujus scripta agente S. BERNARDO, & in *Senonensi Concilio* & ab INNOCENTIO II. fuisse damnata, sc. propter errores aliquos theologicos; verùm quia & ille resipuit, & opera ejus cùm longâ pro ipso apologiâ *Parisiis* ab illustri viro FRANCISCO AMBOSIO Equite, & Christianissimi regis in sanctiore Consistorio Consiliario edita sunt, unâ cum *Doctorem Parisiensium* in eâdem operâ censurâ, in qua loca salebrosa annotata sunt; & ex post PETRI VENERABILIS elogio honoratus in *Monasterio Paracletensi* à se constructo teste PETRO CLUNIACENSI sanctè obiit, ibidemquè sepultus cùm hoc Epitaphio: *ille sciens quidquid fuit illi scibile &c.* hinc testimonium ejus in hâc ma-

teriâ manet integrum. *Similiter* ARNVLPHVS *Episcopus Lemovicensis*, postea *Canonicus Regularis*, conqueritur, pauca esse hujus instituti monasteria, novam plantationem appellitans. RODERIC. *quest. Regul. tom. 1. q. 3. n. 1. fol. 12.* dicit: illos, quos *Fus Canonicum Regulares Canonicos* vocat, suam originem minus antiquam habere. BELLARMINVS *de script. Eccles. chronologiae p. 2. fol. 66.* *Canonicorum Regularium Ordini* anteposit Cisterciensem anno 1098. vel 1099. sub VRBANO II. à S. ROBERTO (docentibus *Chronicis Halberstadiensi, Monasterii S. Ægidii Brunswicensis, Engelhusii, compilat: chronol. MADERI &c.*) institutum, propagatum verò à S. BERNARDO *ao. 1118.* sub GELASIO II. GRAVESON *in Historiâ Ecclesiasticâ Romæ anno 1716. & 1717.* ritè approbatâ *tom. 1. pag. mibi 116.* scribit: *Ordo Canonicorum Regularium S. AVGVSTINI regulam profitentium cœpit tantummodò undecimo sæculo; nulla quippe ante hoc sæculum in scriptoribus Ecclesiasticis apparent vestigia.* Omitto Abbatem JOACHIMVM, HIERONIMVM à Roma, ANTONIVM MASSAM, aliosquè plures, unanimi sententiâ institutum *Canonicorum Regularium ante sæ-*
cu-

culum undecimum minimè agnoscentes. Nunc tandem ex dictis infero & concludo manifestè:

Ergo Ordo s. BENEDICTI natus in Sublaco anno 510. in Concilio Lateranensi sive Romano II. approbatus, à s. GREGORIO Magno confirmatus ordine *Canoniarum Regularium* s. AVGVSTINI multò est antiquior.

§. II.

Solvitur Objectio ex Conciliis desumpta.

16. *Objicies I.* Ex Commentario in regulam s. AVGVSTINI fol. 65. *Canoniarum Regularium* jam olim clarissimè meminit Concilium III. Turonense, celebratum anno Dni 813. Item Vernense anno 755. aliaquè complura, ergò.

Respondet ad Concil. Turonense CAROLVS à MANSFELD Canonicus, de clericorum Cœnobitica C. 5. fol. 103. Ne dicas illos Monasteriorum Canonicos Monachos fuisse, vel Canonicos, quos modò Regulares dicimus, neutrum enim verum est. Ita ille, & rectè; nulla enim in dicto Concilio *Canoniarum*

regularium fit mentio; sed tantum *Canonicorum* in communi viventium, quorum collegia, sicut & Monachorum, dicebantur communi nomine *Monasteria* vel *claustra*, uti patet ex *conc. Cabillonensi can. 40.* statuente, ut *sacerdotes exauthorati relegarentur ad Monasteria Canonica aut Regularia*, id est *Monastica*, in *Monasterio Canonico aut Regulari*. *¶ Moguntinum anno 813. can. 20.* sic habet: *claustrum firmum habeant, in quo salvari possint anime in iis morantium sub disciplinâ Canonica vel Regulari*. Sic & *Concil. Ticinense anno 815.* dicit generatim: *de monasteriis virorum sive foeminarum, quæ debent esse secundum regulam s. BENEDICTI, vel secundum Canonicam auctoritatem disposita &c.* sic & *TANGMARVS* in vitâ *s. BERNVVARDI* non semel *Ecclesiæ Cathedralis hujus Hildesimensis Canonicorum* tunc in communi viventium habitaculum nominat *monasterium*. *Concilium ergo Turonense* hoc ipsô, quod loquitur de *Monasteriis Canonicorum*, non probatur meminisse *Canonicorum Regularium*, minus ordinis *s. AVGVSTINI*. Resp. ad *Concil. Vernense, sive Vernum, sive Vercellense*. Negando, ibi fieri mentionem *Canonicorum*

rum

rum Regularium, sed potius clarissimè ordinem *Canonicum* à *Regulari* distingui. Sic enim dicitur *can. 11. de iis, qui nec sub manu Episcopi sunt, nec regulariter vivunt, placuit, ut in Monasterio sint sub ordine Regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine Canonico.* Unde *Canonici*, de quibus ibi est sermo, non sunt dicti *Regulares*. Similiter dicitur in *Concil. Moguntinensi anno 813. Can. 21. Si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant, sin autem, Canonicè vivant omninò.*

Aliud ergo tunc erat *Canonicè*, aliud *regulariter* vivere, alii *Canonici*, alii *Regulares*.

17. DICES: Cum COMMENTATORE fol. 241. esto, nomen *Canonici Regularis* in primitiva Ecclesia non fuerit in usu, at tamen, si de re constet, non est de nomine disputandum, aliàs sequeretur, in primitiva Ecclesia non fuisse realiter christianos, cum nomen *Christianorum* ante *Concil. Antiochenum* non fuerit in usu, ut habetur *Causâ 24. q. 1. C. 2. rogamus.* Item sequeretur, *Monachos* à *D. BENEDICTO* institutos usque ad tempora *S. GREGORII MAGNI* non fuisse *Benedictinos*, cum nullum tum temporis fuerit, vel ostendi possit hujus nominis vestigium.

Resp. Falli vel fallere COMMENTATOREM, dum ait *cit. cap. rogamus*, haberi, nomen christiani ante *conc. Antiochenum* non fuisse in usu; nihil enim de hoc dicitur toto illo capite, ut patet inspicienti. fit autem nominis *Christiani* expressio *Act. 11. v. 26.* & *28.* nec non *1. Pet. 4. v. 16.*

Deinde si foret tam certum, *Canonicos regulares* extitisse in primitiva Ecclesia, ac certum est extitisse Christianos, & à s. BENEDICTO extitisse Benedictinos, nulla esset de antiquitate *Canonicorum Regularium* controversia. Ast modò, cum nec in *Bullis* summorum Pontificum, nec in *Conciliis*, nec in *tabulis originalibus*, nec in *instrumentis authenticis* ulla ante sæculum undecimum *Canonicorum Regularium* vel regulæ s. AVGVSTINI fiat mentio, colligitur satis evidenter, nec antiquius esse eorum institutum, quæ enim aliàs communis & pertinacis istius subterfugiæ esset ratio?

18. INST. Cum eodem COMMENTATORE *fol. 71. & seq.* objiciendo octo Historicos, & inter illos duos Benedictinos BERNARDVM HERTFELDER & STENGELIVM, testantes Monasteria, pro *Canonicis*

nicis Regularibus sub regulâ s. AVGVSTINI militantibus ante annum millesimum jam fuisse.

Resp. Cum CORB. KHAMM, quòd tales Historici hanc opinionem ex *Conciliis, Bullis Pontificiis, aut ex tabulis originalibus & instrumentis authenticis* non hauserint, adeoque intelligendi sint de *Canonicis* in communi viventibus juxta Regulam vel CHRODOGANGI vel *Aquisgranensem*. Cùm enim Historici aut chronographi advertent ab annis multis, *Canonicos Regulares* in suis Monasteriis observare regulam s. AVGVSTINI, persuadebant, hunc vivendi modum in istis Monasteriis originis viguisse, qui tamen lapsu temporis primùm erat introductus. Quare hujusmodi Monasteria nominantur ab Historicis per anticipationem *Canonicorum Regularium*, prout ex VELSERI doctissimi scholiastæ relatione BARONIVS *annal. Eccl. tom. 10. ad ann. 924.* interpretatur prophetiam s. VDALRICO factam à MARINO *Papa*, qui, quamvis primùm post 18 annos nimirum anno 942. creatus sit Pontifex, nihilominus jam tum s. VDALRICO *Episcopatum Augustanum* præfagiens, *Papa* appell-

pellatur, intellige *Papa* per anticipationem, quia postea factus est *Papa*, ita ille *Hierar. Augustanae p. 3. relat. 1. observ. 1. n. 33. & 34.* qui idem *l. cit. n. 39.* fatetur, ipsum se alibi, specialiter *p. 1. fol. 126.* ante sæculum undecimum appellare aliqua monasteria *Canonicorum Regularium*, videlicet per anticipationem, quia nempe fundata erant pro *Canonicis* juxta regulam *CHRODOGANGI* aut *Aquisgranensem* in communi viventibus, quos ad distinctionem aliorum *Canonicorum* separatim habitantium more aliorum *Neotericorum* chronographorum vocat *regulares*, & quia postea modernam regulam s. *AVGVSTINI* suscepere, ordinis s. *AVGVSTINI*.

19. Errat ergo *RADERVS* à *COMMENTATORE* *fol. 71.* citatus, dum *Bavariæ s. volum 2. fol. 248.* in vita s. *CONRADI Archiepiscopi Salisburgensis* scribit: *olim plerique omnes summæ ædis Canonici s. AVGVSTINI leges & regulam sequi cogebantur.* Nam vixere olim *salisburgensis Ecclesiæ Canonici* secundum regulam *Aquisgranensem* ad *ARNONEM Archiepiscopum Salisburgensem* à *LVDOVICO PIO* eum in finem
 mis-

missam, uti ex ipsâ epist. LVDOVICI PII
 monstrat MABILLON in replica. Ipse etiam
 RADERVS l. c. fol. 277. & seqq. refert, ipsos
Canonicos regulares anno 1133. nondum ha-
buisse regulam s. AVGVSTINI (qui ta-
 men tunc juxta ipsum jam cœperant dici
 ordinis s. AVGVSTINI) ut patet ex eis,
 quæ de GEROHO Præposito *Reichersbergensi*
 narrat; quomodo ergo illam habuere alii
 non Regulares s. AVGVSTINI?

20. Certè olim passim per Germaniam
Canonicos sub aliquâ regula in commu-
 ni vixisse præter *Schiphower infra n. 51. ci-*
tandum & alios testatur Meibomius in Chro-
nico Riddagsbusensi n. 36. & Henricus Petreus
singulariter de Ecclesia Cathedrali Hildesienfi
in Tract. de Monasteriis sic loquens: “Hanc
 ædem porticu, ædiculâque Capitulari &“
 Dormitorio, cœterisque ad monasticam“
 sive claustralem vitam idoneis ædificiis“
 (4tus ordine ex COENOBIO CORVE-“
 JANO Monachus post obitum *Ebekami*“
 (v. *Ebonis*) ad ann. Christi 847. postula-“
 tus *Episcopus ALTRIDVS*) amplificabat,“
 ibidemquè *Canonicos* constituebat, qui“
 unâ sub regula viventes, tantâ rebus sa-“
 cris dies noctesquè contentione, tantâ“
 „curâ

„curâ & devotione ordinatim invigila-
 „bant, ut non immeritò imago honesta-
 „tis, exemplumquè virtutum omnium
 germanis dici possint.„ Ita ille. persti-
 tit regularis isthæc vita in collegio *Canonicorum*
Ecclesiæ hujus Cathedralis us-
 què dum sub *DIETHMARO* decimo quin-
 to *Episcopo* Ecclesia cum Dormitorio, ali-
 isquè ædificiis conflagrabit, hâc occasio-
 ne *Canonici* separatim habitare cœpe-
 runt, conniventibus etiam *Successoribus*
Episcopis *AZELINO* & *HEZILONE*, quem
 postremum tamen permissionis istius sub
 finem vitæ vehementer pœnituit, omne-
 què Capitulum ad se evocatum per Dei
 propriæquè salutis amorem est obtesta-
 tus, ut relictam communis vitæ rationem
 reassumerent. *vet. Chron. M. SS. Episc. Hild.*
 Sed quænam ista fuit regula? *Caspar Bru-*
schius in vita *ALTRIDI*, *WALTBERTI*
 & *DIETHMARI* *Episcoporum Hildesiensium*
 sub regulæ *Benedictinæ* professione in
Monasticâ veste *Canonicos* *Ecclesiæ Ca-*
thedralis vixisse constanter asseverat. ro-
 borari poterit hæc opinio ex *JOANNE*
MABILLONIO, qui in præfatione ad sæcu-
 lum 3tium *Benedictinum* §. 3. probans, no-
 mine

mine Regulæ Canonicae nonnunquam olim *Benedictinam* esse significatam, & hanc viguisse in primariis GERMANIÆ Ecclesiis *Frisingensi, Saltzburgensi, Trajedenſi ad Rhenum, Eistetensi, Würtzburgensi, Bremensi, Ratisbonensi, Magdeburgensi, Mimgardefordensi v. Monasteriensi; quidni & Hildeſiensi*, sub tot Episcopis inter primos Benedictinis, ALTRIDO anno 848. qui à *Bruschio* hanc regulam introduxiſſe dicitur, WALTBERTO anno 884. SIGHARDO V. GEBHARDO anno 903. DIATHARDO 928. OCHWINO V. OTHWINO 956. OSDAGO 985. ſive BERNWARDO in fine vitæ habitum ſuſcipiente 1024. s. GODEHARDO 1024. Episcopatum auſpicante? atquè ideo *Schiphower*, qui ſcripſit circa annum 1500. in chronico *Oldenburgensi* dicit, *Canonicos & Vicarios* in adventu & quadrageſima portare cappas nigras, quaſi habitum regularium, ut aliquid de iſta religioſitate retinuiſſe videantur. Sed *Meibomius* loco priùs citato de Germaniæ Canonicis in genere ſic ſcribit. “*Canonici dicebantur, quoniam*“ in collegium recepti, certum diſciplinæ“ genus legibus canonibusquè præſcriptum

„ptum profiterentur. Unde & fratres
 „appellati, vetustis annalibus & monu-
 „mentis fidem facientibus, & simul uno
 „pistore & promo communi, condoquè
 „usi sunt. Quin & ædes Episcoporum,
 „quæ unà cum collegiis contiguæ Basili-
 „cis erant, monasteria dicta sunt, non mi-
 „nùs, quàm Cœnobia, nomine etiam ho-
 „die non nullis in locis perdurante., Re-
 „gula ergo ista non erat S. AVGVSTINI,
 „sed V. BENEDICTI vel *Aquisgranensis*,
 „quæ supra n. 9. excerptum quoddam ex di-
 „ctis SS. Patrum & de vita Canonicâ vocatur,
 „quamquè ^{2^{dius}} LVDOVICVS pius Episcopatus
 „Hildesiensis Fundator almificus Canonicis
 „summopere commendabat. vid. GRAVE-
 „SON. *Hist. Eccles. tom. 3. pag. mihi 130.* po-
 „sterioribus MEIBOMII verbis confirman-
 „tur dicta ad object.

21. Errat & fidelissimus aliàs Joannes
 Buschius, dum *de reform. monast. l. 2. c. 18.*
 refert, S. BERNWARDVM Episcopum Hil-
 desiensem anno Domini 1001. à Monialibus
 Monasteriorum *Heinigen & Stederborg* pro-
 fessionem secundùm regulam almi P. AV-
 GVSTINI suscepisse, & in ordine *Canonicorum Regularium* perpetuò confirmâsse;
 se;

se; quod enim HEINIGEN concernit, patet ex dictis §. 1. n. 13. *Stederborg* autem similiter promovente S. BERNWARDO à Comitissa *Hathewiga* sæcularibus Virginibus traditum esse patet ex sequentibus Chronici *Stederburgensis* verbis sub initium: *Comitissa Hathwigis hoc castrum Deo servientibus deputavit, & collegium Sanctimonialium Canonicarum, ut vulgò dicitur, sæcularium, prout de eodem patrimonio sustentari poterant, coadunavit. Sic & erat Engelhusius, dum in chronico suo dicit, HENRICVM Imperatorem hujus nominis 3tium Goslarie Monasterium instituisse secundum regulam S. AVGVSTINI. Falsum enim hoc est, nequè enim HENRICVS iste fuit Monasterii GEORGI-MONTANI fundator, nec regulam ibi introduxit, uti dictum est §. 1. n. 13. potest tamen intelligi, esse ibi Monasterium vel à CONRADO II. vel HENRICO III. institutum, quod ex post suscepit regulam S. AVGVSTINI.*

22. Ad testimonia *Hertfelder & Stengelii* specialiter responderet *P. Egger in Idæa Ordinis parte V. Diff. 4. n. 5.* non absolutè priorem illum (*Bernardum Hertfelder*) asseruisse, quod *Canonici Regulares* eâ tempe-

C

state

state locum illum (Monasterii S. VDAL-
 RICHI *Augustæ*) incoluerint, sed solum ex
 conjecturâ, & illo forsan etiam errore,
 quo persuasum habuit, omnes *Canonicos*
 in communi viventes continuò *Regulares*
 fuisse. Dubium verò se in illâ re extitit-
 se, clarè demonstrat, dum ait: *quandò* & à
quo tempore id factum, annales nostri expressè
non produunt. Deniquè quamvis asserat
 fuisse *Canonicos Regulares*, non addit ta-
 men, fuisse regulæ obstrictos S. AVGVSTINI,
 de quibus est nobis sermo. Et licet STEN-
 GELIVS proprium Augustanum ab erro-
 ribus purgâsse dicatur, credere tamen
 omnia nemo tenetur, ut Canonizata. Si-
 cut dicemus ad objectionem immediatè
 sequentem. Videatur etiam CORBIN.
 KHAMM l. c. n. 36. & sqq.

§. III.

Solvitur objectio ex Breviario
 desumpta.

23. OBJICIES 2. Ordo *Canonicorum*
Regularium S. AVGVSTINI celebrat mul-
 ta à S. Rituum congregatione approbata
 festa SANDTORVM ORDINIS, qui in
 pri-

primitiva Ecclesia, & multò ante sæcu-
 lum undecimum tempore floruerunt. er-
 go. Resp. Concedendo, quod talia festa ce-
 lebret & venditet tanquam sui ordinis, sed
 Nego suppositum, quod verè fuerint Or-
 dinis Canoniorum Regularium s. AV-
 GVSTINI. Nec refert, quod approbata
 sint à S. congregatione Rituum, “ dum
 „ enim (inquit *Papebrochius S. J.*) sacra Ri-
 „ tuum Congregatio approbat aliquod of-
 „ ficiam, ut recitandum, certum nobis
 „ & infallibile est, omnes eos, quibus hoc
 „ officium à S. Congregatione recitandum
 „ præcipitur, ab omni errore Juris remo-
 „ tos esse, ac licitè illud, & sine culpæ pe-
 „ riculo recituros, imò ad illud teneri, si
 „ eos S. Congregatio obstrinxerit. Non
 „ tamen certum nobis est & infallibile,
 „ omnes eos, qui ad officium recitandum
 „ præcepto obligantur, obstringi hoc ipso,
 „ ad certò & infallibiliter credendum,
 „ quidquid in isto officio continetur. „ Ita
Papebrochius. Eadem ferè repetit in resp.
 ad exhibitionem errorum fol. 53. item ibidem
 p. 1. fol. 117. Sic D. CAJETANVS tom. 4. in
 opera S. P. Damiani præfat. ad Lect. de Bre-
 viarii Lectionibus s. VBALDI respondet,

non omnia de fide esse, quæ in particulari-
 bus Sanctorum historiis leguntur. Sic
Corb. Khamm contradicit ex parte Lectio-
 nibus 2di Noct. de s. MAGNO in Ecclesia
Eluacensi recitandis; cum enim (*inquit*
p. 3. n. 42.) in hujusmodi Lecti-
 onibus multa narrative, non decisive con-
 tineantur, tales relationes non pariunt fi-
 dem Catholicam, nec ubivis fidem histo-
 ricam.

24. Quam quæso fidem merentur Ca-
 nonicorum Regularium *Windesemensium* pro-
 priæ de s. BENNONE Episcopo *Misnensi*
 Lectiones, in quibus dicitur (BENNO
Hildesimâ Saxonie Civitate oriundus quin-
quennis s. BERNARDO Hildesimensi Epi-
scopo commendatus --- LEONIS PP. NO-
NI auctoritate ab ordine Monastico ad Ca-
nonicum translatus) cum inter officia pro-
pria Ecclesiæ Hildesimensis, etiam ap-
probata, in festo s. BENNONIS die 16.
Junii legatur: s. BENNO propè Goslarium ex
Comitum stirpe prognatus, & sub s. BERN-
WARDO (non BERNARDO) Episcopo in Mona-
sterio S. Michaëlis educatus; suffragantibus
Historicis & veteribus & Neotericis? Nec
 ve-

verum est, eum authoritate Pontificiâ relicto ordine Monastico (quod indicat ly translatus; non enim dicitur quis translatus à statu, sicut nec loco, nisi relicto) suscepisse ordinem Canonorum Regularium, atquè ideo eundem *DD. Canonici Regulares* ineptè moderno sui Ordinis vestiunt habitu, qualiter depictus cernitur in celeberrima istius Ordinis Canonica *Grawhoffensi*, aliàs *Georgi-Montanâ*, nam habitus iste ante annum 1400. non fuit *Canonorum Regularium s. AUGVSTINI*, uti manifestè ostendetur infra, nec *s. BENNO* unquam *Goslariæ* Canonorum Regularium, sed sæcularium Magister erat. rem sic cape:

25. **CONRADVS II.** Imperator, fundator montis *s. GEORGII*, ut dictum *supra s. 1. n. 13.* etiam fundamenta jecerat Ecclesiæ *Goslariensis*, testante chronico *Goslariensi* Dialecto Saxonica conscripto apud *Leibniz tom. 3. pag. 426.* **HENRICVS III. CONRADI** generi & filius (adoptivus) Ecclesiam illam regio cultu absolvit & transtulit Monasterium *s. VALERII* de *Harteshorgh* (verba sunt alterius chronici *Goslariensis* apud eundem *Leibniz tom. 2. p.*

535.) ad locum istum, & eam Ecclesiam per beatissimum Papam LEONEM nonum in honorem S. MARIE & SS. APOSTOLORVM SIMONIS & JVDÆ & C. consecrari procuravit. Chronicon immediatè ante citatum sic habet: I. c. Heinrich de dritde wandelde dat Münster Sanct Valerii wertlicker Canonecke van der Hartesborgh, wente in de stidde, dar id nu licht. Unde düsse heffi se vermiddelst unseme hilgesten Vader deme Pawese Leone in de ere der hilgen Apostolen Simonis unde Juda - - - gewiget laten in syner Fegenwordicheit. sequitur in narratione Monachi Hamerslebiensis apud eundem Leibnitzium tom. 2. pag. 507.

„quam Ecclesiam idem Imperator voluit
 „appellari capellam imperii, & Canonicos ipsius Capellanos Regios. Operam ergo dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem Ecclesiæ præficeret, siquidem etiam Regni illic sedem constituerat. Electi igitur ex omni ferè Germania viri doctissimi ac religiosissimi, inter quos & venerabilis BENNO, maximis Imperatoris precibus, jubente præfato LEONE PAPA, vix tandem è Monasterio suo (S. Michaëlis Ord. S. BENNE-

„NE-

„NEDICTI Hildesii, ubi tertius Abbas post
 „laudabilissimam trium mensium gubernatio-
 „nem sanctæ quietis amore resignaverat) ex-
 „tractus, ac dictæ Goslariensi Ecclesiæ, no-
 „væquè congregationi Spiritalis Dux ut
 „esset, in Magistrum & Canonicum præ-
 fectus est.

Non ergo *Canonicorum Regularium*, sed
Sæcularium s. BENNO institutus est Ma-
 gister, nec erat ulla Monachatus relin-
 quendi necessitas, cum Monachus possit
 esse universalis usque ad eam Ecclesiæ Epi-
 scopus, omnisquè cleri, imò totius Chri-
 stianismi supremum in terris caput, quid
 ni & particularis Ecclesiæ Canonicus &
 Præpositus? an fortè repugnat, atque
 chimericum est, & Monachum esse & Ca-
 nonicum? Ecce Domini *Canonici Regulares*,
Canonici estis, ut dicitis, & *Monachi*, ut di-
 cetur postea. *Monachi Benedictini* olim
 in *Anglia* plerarumquè Ecclesiarum Ca-
 thedralium & *Infulas* & *Canonicatus* pos-
 sedere, uti authenticè monstrat CLEMENS
 REYNERVS in *Apostolatu Benedictino tract. 1.*
sect. 1. §. 5. & seqq. audiatur & YEPES
Chron. General. ad annum christi 597. sic
 loquens:

26. „Plerasque Ecclesias Cathedrales
 „habebant, & moderabantur *Monachi*
 „*Ord. s. BENEDICTI*, suoquè de cœtu
 „Episcopos legebant, quod propriis locis
 „ostendemus. Qui *POLYDORVM*, *VI-*
 „*GILIVM*, *MATTHÆVM Westmonaste-*
 „*riensem*, *FLORENTIVM MONACHVM*
 „vel parùm terit, in nostras Ecclesias Ca-
 „thedrales, veluti *Cantuariensem* (cui 20. E-
 „piscopatus annexi) *Eliensem*, *Rofensem*,
 „*Witoniensem*, *Ciscestremsensem*, *Conventrensem*,
 „*Dunelmensem Wigorniensensem*, *Lichelfelden-*
 „*sem*, *Batoniensensem*, primo ferè oculorum
 „conjectu incidit. Et paulò superiùs *LEO-*
 „*NE X.* claves tenente liber editus fuit, cui
 „titulus: *Provinciale omnium Ecclesiarum*,
 „in quo hæ Cathedrales ordini *s. BENE-*
 „*DICTI* adscribuntur: *MONREAL*, sive
 „*MONS REGIVS*, Archiepiscopatus in *Si-*
 „*ciliâ*, ubi Monachi ad regulam istius Pa-
 „triarchæ vivunt, & Ecclesiæ Cathedra-
 „lis munia exequentur. Metropolitanæ
 „huic Ecclesiæ Episcopatus *Catanensis*
 „subditus est, ac Monachi eandem nor-
 „mam, quam superiores sequuntur. In
 „*Aquitania Regni Gallie* parte *JOAN-*
 „*NES XXII.* duo Monasteria nostri ordi-
 „nis

„nis in Episcopatus vertit (VAPRACEN-
 „SEM & SARLATENSEM) S. BENEDICTI
 „regulâ ibidem relictâ. Idem in *Gallia*
 „*Narbonensi* cum illustrissimo Monasterio
 „*san ponce de Tomer* ab eodem JOANNE
 „PAPA factum; pergit deinde YEPESIVS.

27. „Pauca hæc Monasteria Cathedra-
 „lia sunt, si ad ea compares, quæ ubivis
 „terrarum cum S. Regulæ observatione
 „*Canonicorum* ministeria conjunxerunt.
 „Quid opus est multis? primis sæculis
 „tanta hujus regulæ gratia & felicitas fuit,
 „ut in plerisque Ecclesiis Cathedralibus
 „haberet locum, quod in *Britania* minori
 „& majori notavimus, nec non deinceps
 „in Germaniâ faciemus. Vulgus eos, qui
 „extra conspectum in solitudine dege-
 „bant, Monachos, qui verò in Ecclesiis
 „Cathedralibus commorabantur, *Canoni-*
 „*cos* nominabat. Cum autem DIVUS AV-
 „GVSTINVS suæ Ecclesiæ *Canonicis* regu-
 „lam præscripserit (*uti communi errore dici-*
 „*tur*) multis imposuit error, *Canonicos Re-*
 „*gulares* opinantibus, nullos alibi reperiri,
 „nisi de familiâ D. AVGVSTINI. Mox,
 „qui hoc ex fonte biberunt, de pluribus
 „*Episcopis, Pontificibus, itemque innumeris*

„sanctis nostri ordinis conclamârunt, inque
 „spongiam incumbentes ex albo s. P. N.
 „BENEDICTI penitus deleverunt. Ipsi
 „quoque Historici, ut primùm in *Canon-*
 „*cum* inciderunt, quem virtus & doctrina
 „posteritati commendaverat, illicò cala-
 „mum ad manus, virum in syllabum D.
 „AVGVSTINI transcribunt, quasi non in-
 „finiti *Canonici* regulam s. BENEDICTI fuis-
 „sent professi. Ita YEPESIVS, hæc in seqq.
 „fusus probans.

28. Ex simili, putem, errore, stimulan-
 te nihilominus, aut saltem comitante
 præpropere nonnullo excellentiæ pro-
 priæ amore, moderni *Canonici Regulares*
 non tantùm s. BENNONEM dictitant suum,
 sed & plurimos alios tanquam proprios
 suis officiis celebratos, inter quos s. IL-
 DEFONSVS, LEANDER *Hispalensis* Episcopus,
 ZACHARIAS PAPA, ISIDORVS, DVNSTANVS,
 TRVDO &c. &c. &c. fuere *Benedictini*, uti
 non tantùm ex ipsis de iisdem *Benedicti-*
norum *Lectio*nibus propriis à S. Rituum
 Congregatione pariter approbatis, sed
 & YEPESIO, BVCELINO, ARNOLDO,
 WION &c. &c. gravissimis Historicis pa-
 tet. Dissimulârunt hucusquè *Benedictini*
 hunc

hunc errorem, cultum istum suis minimè invidentes sanctis ; ast, si eorum antiquitate & ipsi oppugnantur *Benedictini*, impudent sibi met ipsis *DD. Canonici Regulares*, si hocce strepitu suscitabitur etiam *Papebrochius* quis, haud difficulter ostensurus, ex omnibus propriis, *Canonicorum Regularium* s. *AVGVSTINI* festis, respectivè vix aliqua ipsis remanere ; certè enim, si inelytus status *Petrinus* & *ordo Benedictinus* suos sibi solis repetunt *SANCTOS*, continget ferè *DD. Canonicis Regularibus*, quod in fabula *Monedule* alienis plumis ornatae. Advertere hic oportet, dicente *DANIELE PAPEBROCHIO*, *comment. N. 38. pœnam gravissimam mereri illos, qui talia falsa scienter offerunt S. Congregationi.*

§. IV.

Solvitur objectio ex antiquitate regulæ petita.

29. *Objicies 3tio* : Antiquitas ordinis desumenda est ab antiquitate regulæ, quæ est ordinis anima, sed regula *Canonicorum regularium* ordinis s. *AVGVSTINI* est *Regulâ Benedictinorum* antiquior, utpote scripta
à s.

à s. AVGVSTINO, cujus mors s. BENEDICTI Nativitatem annis 50 antecessit, ergo & ordo *Canonicorum regularium* est antiquior ordine s. BENEDICTI.

Resp. D. desumenda est ab antiquitate regulæ formaliter & ut approbatæ, C. materialiter & non approbatæ, N. sed regula *Canonicorum regularium* est antiquior materialiter & non approbata, C. formaliter & ut approbata, N. Regulam enim s. AVGVSTINI ante sæculum undecimum non esse approbatam, patet, quia ante illud nullum hujus approbationis, nec in Bullis summorum Pontificum, nec in Conciliis, nec in aliis literis quibusdam authenticis invenitur vestigium; & primùm sub VRBANO II. post annum 1087. in Bullis Pontificiis, ac deinceps in Conciliis teste MABILLON in replicâ fol. 54. primùm RHEMENSIS annò 1131. regulæ AVGVSTINIANÆ fit mentio; deinde *Lateranensi* sub INNOCENTIO II. annò 1139. Et utrobiquè scil. in priore *Canone* 6. posteriori *Can.* 26. MONACHI BENEDICTINI *Canonicis Regularibus*, & regula s. BENEDICTI regulæ s. AVGVSTINI præponitur, quod & factum in **Conc. MEDIOLANENSI** annò 1287. NARBO-
NENSI

NENSI 1214. COLONIENSI 1442. & aliàs ferè semper. imò & ipso in jure *Can. pernitiosam* 18. qu. 2. & *cap. de statu Monachorum* & *Canonicorum regularium*, qui ordo nominandi *præcedentiam* denotat.

30. Requiritur autem ad universalem valorem regulæ, approbationem Pontificium, cum communi Canonistarum docet BORDONVS in *Theat. præced. n. 245.* & apud TAMBVR. *de jur. Abb. tom. 1. disp. 25. q. 1. n. 258.* & *n. 256.* ex BVRCARDO in *Summa L. 8.* probat ANTONIVS MASSA GALLESIVS per *Concilia, Aurelianum, Moguntinum, Triburiense & Toletanum*, atque per *Canones plurimos*, esse prius approbatam regulam s. BENEDICTI, asseritque *n. 58.* Doctores præsupponere pro indubitato, quod tempus approbationis regulæ per sedem Apostolicam factæ tribuat & *prælationem & præeminentiam* ante alias postea approbatas, non autem tempus institutionis regulæ, quod pluribus probat CORBIN. KHAMM *p. 3. Hierarch. August. relat. 1. observ. 2. n. 168.* & *sqq.*

31. Dixi in responsione, s. AVGVSTINI regulam esse antiquiorem non formaliter, sed materialiter tantum, quamvis enim id, quod
mo-

modò dicitur *regula*, sit conscriptum à S. P.
 AVGVSTINO, non tamen ut *regula* aliqua
 alicujus *ordinis*, nec tanquam *regula* fuit
 unquam data *Canonicis*; sed vixit S. AVGV-
 STINVS cum sui Monasterii Clericis se-
 cundum normam Apostolorum, sequè eis
 præbuit *vivam regulam vitæ clericalis*. POS-
 SIDON. *in vita S. AVGVSTINI cap. 5.* sic ha-
 bet: „Monasterium intra Ecclesiam mox
 „instituit, & cum Dei servis vivere cœpit
 „secundum modum & regulam sub S. AN-
 „CTIS APOSTOLIS constitutam: maxi-
 „mè, ut nemo, quicquam proprium in illa
 „Societate haberet, sed eis essent omnia
 „communia, & distribueretur unicuique,
 „prout cuique opus erat. „ Vixerunt er-
 go *Clerici S. AVGVSTINI* non secundum re-
 gulam ab IPSO conditam, sed secundum re-
 gulam ab Apostolis constitutam, quæ ma-
 ximè consistebat in modo communis vi-
 tæ. „ Nequè verò absurdum est (ait PRO-
 „SPER STELLARTIVS apud HÆFFTE-
 „NVM l. 1. tract. V. disq. 1.) monasterium à
 „DIVO AVGVSTINO conditum sine pe-
 „culiari scriptâ vivendi normâ dirigi.
 „quâ namquè regulâ olim in ÆGYPTO &
 „PALÆSTINA Cœnobitæ simul & Eremi-
 „tæ

„tæ fuerunt usi sub ANTONIO & HILARIO-
 „NE? quibus legibus subditi *Bethlehemitici*
 „HIERONYMO, *Mediolanenses* SIMPLICIANO
 „& AMBROSIO? nullane VIRIS tam REGV-
 „LARIBVS fuerit regula? nulla, quod lega-
 „tur, præter Apostolicos actus & Evan-
 „gelium.„ Moderna autem *Canonicorum*
Regularium regula est Epistola à s. AVGV-
 STINO Monialibus data, quibus ejus so-
 ROR PERPETVA præerat. Ita præter plu-
 res à YEPES tom. 2. *Chron. gen. ad annum 615.*
 citatos, & præter CRVSENIUM de *antiquitate*
Ord. s. AVGVSTINI fol. 52. Regulam s. AV-
 GVST. non habuisse *Canonicos Regulares* an-
 te annum 1000 affirmantem, tenent ex
Benedictinis ipse YEPES l. c. MABILLON in *gem.*
Apolog. REYNERVS in *Apostolatu Benedictino*
tr. I. sect. I. fol. 160. HVGGO MENARDVS, RAN-
 BECK *Calend. Bened.* EGGER in *Idæa Ord. p. 5.*
fol. 305. & sqq. Ex aliorum Ordinum scri-
 ptoribus, BELLARM. de *Scriptoribus Eccl. fol.*
122. & sqq. RODRIQ. tom. I. q. 3. a. 1. DV-
 BOIS in *Auctario Hist. Parisiens.* HENSCH-
 NIVS & PAPEBROCHIVS in *Act. SS. ad*
diem 8. April. fol. 777. apud PAPEBROCHIVM
 in *resp. ad exhibitionem errorum art. 13.* STEL-
 LARTIVS *Ord. Erem. s. AVG. NICOLAUS*

DES NOS, frequenter ab ipso COMMENTATORE pro se citatus, scribens, anno 1674. nemine ex suis contradicente, probantibus verò duobus è SORBONA Doctoribus, ad hoc à Facultate Theologica deputatis. LANDMETER *Canonicus Regularis præmonstratensis*. GALLONIUS *apol. contra Belotum*. VALENTIA *tom. 3. disp. 3. q. 10. p. 5.* sic autem. Ex Germanis Scriptoribus *Canonicorum Regularium* idem docent NEBRIDIVS à *Mundelheim*, GEROHVS *Præpositus Reicherspergensis*, WERLINVS *Præpositus Diessensis*, WILLIBALDVS MAIR *in vita s. AVG. quorum testimonia fusiùs videri possunt apud CORB. KHAMM. p. 3. rel. I. num. 83. & seqq.*

32. CONFIRMATVR: S. GREGORIUS MAGNVS regulam S. BENEDICTI confirmans, sic dicit; “EGO GREGORIUS &c. „legi regulam, quam ipse sanctus (BENEDICTVS) manu propriâ scripsit, laudavi eam, & confirmavi in S. Synodo, & per diversas partes ITALIÆ, & ubicunque latinæ literæ legerentur præcepi, ut diligentissimè observarent, quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent usque ad finem mundi.” Reperitur hæc

hæc confirmatio in BVLLARII CASSI-
NENSIS tom. I. fol. f. Unde sic licet di-
scurrere: Si S. AVGVSTINVS suæ Eccle-
siæ dedisset regulam, quam habent mo-
dèrni *Canonici Regulares*, hæcquè tempo-
re S. GREGORII fuisset in usu, hanc istâ
Regulæ Benedictinæ confirmatione S. GRE-
GORIVS tanquam minùs congruam, ac-
cedentibus ad conversionem (quod et-
iam faciunt *Canonici Regulares*) proscripsis-
set, quia præcepit, ut quicunque ad con-
versionis gratiam accessuri essent, *Bene-
dictinam* observarent regulam, atqui dici
non potest, SVMVM PONTIFICEM S.
AVGVSTINI tanti Doctoris regulam im-
probâsse, ergo ista non fuit data *Canoni-
cis*, aut saltem non propagata. quod &
inde evincitur, quia teste JACOBO VA-
DIANO, præfat. ad tractat. 3. rerum Aleman-
nicarum, à Pontificatu istius GREGORII
MAGNI, trecentis annis non alia in Ale-
mannia in usu fuit regula, quàm S. BENE-
DICTI. HYACINTHVS de Graveson in
bist. Eccles. tom. 3. p. m. 63. & 131. tom. IX.
pag. 136. & 137. refert, octavo sæculo regu-
lam S. BENELECTI in Gallia, Germania,
Italia & Anglia, primas tenuisse, ideoquè

factum, ut omnes in Occidente Monachi, qui ante hæc sequebantur regulas à Sancto CÆSARIO, HONORATO, AVRELIANO, MARTINO, COLVMBANO, CASSIANO & aliis conditas, relictis hisce regulis, unam s. BENEDICTI regulam fuerint amplexi, hæcquè sæculo nono sola in Cœnobijis dominaretur; videatur etiam CONCIL. AQVISGRANENSE *cit. supra n. 37.*

DICES I. cum PENNOTO *hist. trip. l. 1. cap. 18. n. 2.* Ipse AVGVSTINVS fatetur, se Clericis secum viventibus leges nonnullas scripsisse, hoc enim verba ejus redolent, *in 1. serm. de communi vitâ Clericorum, exarata; noveram enim & novi omnes, qui mecum viverent, nôsse propositum nostrum, nôsse legem vitæ nostræ.* Et POSSIDIUS cap. 15. cum ait: quod *indisciplinationes suorum & transgressiones à regula arguebat,* & supra cap. 5. cum ait: quod *cum servis Dei cœpit vivere in Monasterio, secundum regulam sub Sanctis Apostolis constitutam;*
 „ Quid enim aliud ipsa B. AVGVSTINI re-
 „ gula, nisi eadem regula Apostolica, quæ
 „ ante sine scriptura servabatur, in scriptis
 „ redacta? & sanè quis Credat B. AVGV-
 STI-

STINVM, qui paucis fœminis in Mo-
 nasterio degentibus Regulam scribere
 voluit, *suos Clericos*, cum quibus 40. cir-
 citer annis in communi vixit, quorum
 instituendorum, vel potiùs ad exemplar
 vitæ apostolicæ reformandorum curam
 præcipuam mente gerebat, quorum
 plures adhuc vivens, Ecclesiis regendis
 & Monasteriis instituendis, in diversis lo-
 cis Presbyteros & Episcopos dedit, sine
 regulâ scriptâ relinquere voluisse,,? ita PEN-
 NOTVS.

Resp. ad textum ex S. AVGVSTINO ci-
 tatum, non loqui ibi AVGVSTINVM, nisi
 de lege & regula, quæ ex Actis Apostolo-
 rum colligitur, quod ipsum satis declarat,
serm. de vitâ clericorum, qui incipit: propter
quod volui; in quo ait: "Nos omnes, aut
 penè omnes, sic nos vivere in eâ domo,
 quæ dicitur domus Episcopi, ut quan-
 tum possumus, imitemur eos Sanctos,
 de quibus loquitur liber actuum Apосто-
 lorum: nemo dicebat aliquid proprium,
 sed erant illis omnia communia,, & alte-
 ro sermone, qui incipit: *charitati vestræ,*
 similia habet: "quomodo vivere veli-
 mus, quomodo Deo propitio jam vi-

„vamus, quamvis de Scriptura Sacra mul-
 „ta noveritis, tamen ad commemoran-
 „dos vos, ipsa de libro actuum Apосто-
 „lorum lectio recitabitur, ut videatis,
 „ubi descripta sit forma, quam desidera-
 „mus implere.

Ad I. quod allegatur ex POSSIDIO.
 Resp. POSSIDIUM sic habere: *à regulâ re-
 ctâ & honestate.* non ergò loquitur de re-
 gulâ à S. AVGVSTINO scriptâ. quinimò
 ex illo 25. capite, ubi domesticam S. AV-
 GVSTINI disciplinam cum suis *Clericis*
 POSSIDIUS describit, argui posset, eos
 ibidem non usos esse eâ, quæ nunc habe-
 tur S. AVGVSTINI, regulâ. ibi enim poena
 jurantis commemoratur, nempe *ut unam
 de statutis perderet potionem*; numerus
 enim erat suis secum commorantibus &
 conviventibus poculorum præfixus; hoc
 autem in regula non habetur. quod veri-
 simile non est ab AVGVSTINO omissum
 fuisse, si propriam, juxta quam cum suis
 vivebat, scripsisset regulam.

Quod 2dò dicitur ex POSSIDIO, verè
 insinuat aliam à S. AVGVSTINO non præ-
 scriptam regulam, sed contentos fuisse
 Lectione illâ ex Actis Apostolorum recita-
 tâ,

tâ, quam solam, ut vidimus, *Clericorum* fuorum vivendi formam objicit, vel ignorantibus vel perscrutantibus.

Ad rationem, quam addit PENNOTVS, jam constat ex dictis, novum non esse, si absquè scriptis regulis suam s. AVGVSTINVS, priscorum patrum more, sc. (MARTINI *Turonensis*, SIMPLICIANI, HIERONYMI) regeret congregationem, nimirum, ut annotavit STELLARTIVS, *lex viva erat AVGVSTINVS presentibus, absentibus verò fœminis scriptam dedit legem, & verò sine illa, ut ipse AVGVSTINVS ait Epist. 109. Sanctimoniales in Monasterio per multos annos & numero & ætate creverant, sine illa eruditæ, sine illa velatæ, sine illa multiplicatæ erant vid. HÆFFT. l. 1. tract. v. disq. 1.* Porro, ut demonstratur, non fuisse sententiam, etiam inter ipsos *Canonicos Regulares* communiter receptam, regulam à s. AVGVSTINO conditam, & per GELASIVM I. (de quo §. seq.) esse propagatam, fidem facit *Antiquarium Monasticum NEBRIDII à Mundelheim Canonici Regularis in Austria*, qui recitatâ eâ opinione, ait eam valdè esse incertam; *Sed hæc ipsa res incerta est; mirum*

enim, si tamdiu fuit, in Conciliis nusquam
ejus fieri mentionem, sicut regulæ s. BENE-
DICTI, cum non rarò fuisset occasio. ita Vir
sinceræ fidei satis testatur, se non adeò
convictum de regulæ suæ antiquitate.

33. DICES 2. Cum COMMENTA-
TORE fol. 4. regulam s. AVGVSTINI,
nullâ indignis approbatione, cum ante
CONCIL. LATERANENSE fuerit institu-
ta per s. AVGVST. Episcopum, qui legiti-
mè id ante illud Concilium facere poterat
tanquam *Ordinarius*.

Resp. Ante CONCIL. LATERANENSE
potuit quidem Episcopus pium aliquod
collegium vel statutum in suâ Diœcesi ap-
probare, *Can. 209. q. 3. Et cap. 2. de constit. in*
6. non tamen regulam universalem. quia
potestate approbandi vel ferendi leges in
omnes fideles, vel pro aliquo communi in
Ecclesia, statu solus pollet PAPA. *Can. 2. dist.*
22. can. 14. q. 3. vid. etiam *cap. Unicum de voto*
Et voti redemptione in 6. CARD. de LVCA. Theatr.
verit. tom. 1. de regular. discurs. 61. n. 6. YEPES
chron. gen. ad an. 615. CARAMVEL de Cisterc. præc.
fol. 61. LESS. l. 2. C. 41. dub. 1. Fr. EMANVEL
RODERIC. tom. 1. qq. regul. q. 1. a. 2. BAR-
THOLVS in L. Sodales ff. de Colleg. illic. lit.
F.

F. PANORM. in cap. fin. X. de relig. dom. §
Concil. 55. part. 1.

34. INS. Cum EODEM l. c. omnes regulæ ante Concilium Lateranense erant ipso jure approbatæ per cap. fin. de relig. dom. & GLOSSA in cap. un. §. ult. eodem tit. l. 6. pro quo etiam est textus in Can. Parsimoniam: Resp. In isto Cap. fin. excerpto ex Concilio Lateran. sub INNOCENTIO III. anno 1215. celebrato, non dicitur, omnes regulas ante illud CONC. ipso jure fuisse approbatas; sed tantum ibi statuitur, ut, quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam & institutionem accipiat de approbatis.

Nec favet GLOSSA in cap. un. §. penult. de religios. dom. in 6. nam ex ea notandum est, "quod GREGORIUS X. anno 1271.
„PAPA creatus, in CONC. GEN. LVGDV-
„NI noluit aliquem mendicantium ordi-
„nem dimittere (GLOSSA permittere)
„nisi Prædicatores & Minores: de non Men-
„dicantibus tres: Cisterciensem & Ordinem
„Nigrorum, & de Templariis & Hospitalariis
„unum ordinem facere. Hanc tamen

„voluntatem suam pro eo tempore su-
 „spendit: Sic enim (ait GLOSSA) dicebat
 „litera: in suo statu volumus permanere,
 „donec de ipsis fuerit ordinatum, inten-
 „dimus siquidem tam de *illis*, quàm de re-
 „liquis etiam *non mendicantibus ordinibus*,
 „prout animarum saluti & eorum statui
 „expedire videbimus, providere. At
 „GREGORII intentum BONIFACIO
 „VIII. non placuit exequi: idcirco hoc
 „(id est, verba primùm citata) detrahit,
 „ait GLOSSA, BONIFACIUS de CONCI-
 „LIO GREGORII; ac præter *Prædicato-*
 „*res, & Minores*, etiam *Ordines Eremitarum*
 „*S. AVGVSTINI & Carmelitarum* in *solido*
 „(GLOSSA aliàs *solito*) statu voluit perma-
 „nere.” Quis extorquebit ex ista GLOS-
 SA, omnes regulas ante CONCIL. LATE-
 RAN. ipso jure censi approbatas? videa-
 tur *Caput*, videatur GLOSSA.

Contrarium autem inde, & ex *C. quo-*
rundam: colligitur hoc modo: *Ordo Ere-*
mitarum S. AVGVSTINI, uti patet ex di-
 cto *cap. unic. §. sanè*. fuit ante CONCIL.
 LATERANENSE, & tamen à BONIFA-
 CIO VIII. in eodem *6. Decret. cap. quo-*
rundam 24. de elect. *Ordo prædicatorum præ-*
 fer-

fertur *Eremitis* s. AVGVST. quia, ut ait GLOSSA, antiquior fuit ejus institutio, & (ponitur in margine) confirmatus ab HONORIO III. anno 1216, ergò licet detur, regulam s. AVGVSTINI vel AVGVSTINIANORVM præcessisse CONCILIVM AVRELIANENSE, præcisè per hoc, deficiente approbatione, nulla ei conceditur prælatio, nullus juris effectus.

35. Et CANON. *Parsimoniam* 5. dist. 41. miram patitur violentiam à COMMENTATORE, dum huc adducitur: desumptus est hic CANON ex *cap. ult.* CONC. GANGRENSIS habiti anno 328. ante tempora s. AVGVSTINI, ubi approbatâ parsimoniâ vestium, dissolutione non receptâ sive reprobatâ, agitur de oratoriis, his verbis: „Et domus Dei honoramus & conventus, qui in illis fuerint, tanquam sanctos, & utiles recipimus, pietatem in privatis domibus non concludentes, sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honorantes, & congregationem in Ecclesiâ factam ad utilitatem communem recipimus, & bona opera, quæ super vires (in priscâ versione habetur: quæ juxta vires) in fratres pauperes exer-

„centur, secundum Ecclesiasticas traditio-
 „nes beatificamus, & omnia, quæ conve-
 „niunt traditionibus Apostolicis, & sancta-
 „rum scripturarum præceptis, in Ecclesia
 „fieri exoptamus.” Ubi fidelium con-
 gregationes, sive conventus in oratoriis
 ad orandum, & distribuendas (more pri-
 stino) eleemosynas instituti approbantur,
 & laudantur, uti patet. Et GLOSSA di-
 cit: *argui ibi contra illos, qui dicunt, melius
 esse orandum in privato loco, & non coram ho-
 minibus, quàm in Ecclesia.*

Quomodo ergo ex isto CANONE pru-
 denter inferri potest: ergo ante CONCIL.
 LATERANENSE omnes regulæ erant
 approbatæ? cur non & infertur, regulam
 s. AVGVSTINI jam esse approbatam, an-
 tequam conderetur à s. AVGVSTINO?
 quia CANON iste jam emanaverat ante s.
 AVGVSTINVM: sed etiam hoc datô: sc.
 omnes regulas generaliter isto CANONE
 esse approbatas, nec unciam tamen juris
 exinde obtinent *Canonici regulares* præ BE-
 NEDICTINIS specialiter prius approba-
 tis, sicut nec *Eremitæ AVGVSTINIANI*
 obtinuerunt præ *Dominicanis*.

36. INS. Cum COMMENTATORE fol.

4.5.

4. S. GELASIVS PP. omnia legitima s. AVGVSTINI scripta expressè approbavit, inter quæ continebatur regula sub titulo sermonis tertii *de communi vitâ clericorum*; ergo GELASIVS etiam approbavit regulam, quia, qui totum approbat, singula membra comprehendit. *Leg. si quod earum § L. si is, qui ff. de rebus dubiis.*

Resp. I. N. Suppositum, s. AVGVSTINVM unquam *Canonicis* regulam dedisse, quomodo ergo talis potuit à GELASIO approbari? neque enim unquam demonstrabitur, ipsum s. AVGVSTINVM *de communi vitâ clericorum agere de regulâ* à se peculiariter scriptâ, inquit PAPEBROCHIVS *f. i. in resp. ad exhib. errorum p. 2. a. 13. n. 84.*

Resp. 2. N. Conseq.; infertur enim nihil, quia nimium, nam probaretur etiam ss. BASILII & HIERONYMI regulas in eodem *Can. f. Romana Ecclesia dist. 15.* esse approbatas, quoad effectum juris, cum tamen regula s. HIERONYMI tanquam approbata nullibi, admittantur, & BASILIANI non multis ab hinc annis cum BENEDICTINIS in *Hispania* de præcedentiâ contendentes non ad istum CANONEM,

NEM, nequè ad antiquitatem suæ institutionis, confugiebant, sed specialem regulæ suæ inquirebant approbationem. Item sequeretur; si nunc ex aliis aliorum ss. PP. in eodem CAN. approbatis opusculis v.g. CYPRIANI, HILARII, AMBROSII &c. aliqua vitæ christianæ norma desumeretur, foret ista hōc ipsō tanquam regula approbata, quiquè eam sequerentur, componerent ordinem in Ecclesia approbatum, nec ageretur contra *cap. fin. de Relig. dom. cit. n. 34.* assumeretur enim aliqua regula de approbatis, approbato enim toto, approbantur & singula membra. Sicquè ingenti ORDINVM confusioni data esset occasio: unde.

Resp. 3. In dicto CANONE approbari opera S. AVGVSTINI, sicut & ALIORVM PP. tantum quoad hoc, quod utiliter possint legi, & nihil in eis contineatur, quod sit contra fidem, & bonos mores, ut patet ex contextu totius CANONIS. hinc

Resp. 4. Axioma illud: *qui totum approbat, singula membra comprehendit*: intelligendum est, solummodò in eo sensu approbari membra, in quo approbatur totum; *Sensum enim, non verba non verba con-*
sider-

fiderare debemus. Cap. præterea 8. de verb. signif. & intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: cap. intelligentia 6. eod. tit. cum ergo totum, sc. omnia opuscula
 S. AVGVSTINI à GELASIO non approbentur, nisi ut sana in fide, ita & pars ista quam dicunt modò regulam.

Lex *Si quod earum* cit. à COMMENTATORE teste CORB. KHAMM. nec in digestis, nec in codice reperitur, sicquè venditantur umbræ.

37. INS. CVM COMMENT. fol. 13. n.
 38. antiquus rerum Gallicarum Historicus AYMONIVS l. 5. hist. c. 10. & 17. de constitutionibus in CONC. AQVISGRANENSI sub LVDOVICO PIO pro *Canonicorum Regularium* generali reformatione dicit: fuisse necessarium, ut S. AVGVSTINI regulæ adderentur statuta, cum illa sit admodum generalis, nec ad particularia descendat.

Resp. Cum CORB. KHAMM. p. 3. fol. 80. COMMENTATOREM fallere. etenim AYMONIVS (non AYMONIVS) nec in citatis Locis, nec alibi in suo opere vel verbulum habet de *Canonicis Regularibus*, nec de regula S. AVGVSTINI, nec statu-

statutis eidem addendis. CONCIL. AQUIS-
 GRANENSE alterum anno 836. sub LVDO-
 VICO PIO celebratum regulam *Canonico-
 rum & Monachorum* determinat his ver-
 bis: " *Canonici* secundum id, quod conti-
 netur in libro, qui de eorum vitâ colle-
 ctus est, religiosè converſentur; *Monachi*
 verò secundum regulam à D. BENE-
 DICTO traditam unanimiter, quantum-
 cunque possibile est, ejus religionis re-
 gularem vitam in omnibus sectentur,"
 apud THOMASS. p. 1. fol. 709. & YEPES
 tom. 2. fol. 57. Quare ibi sæculo IX. re-
 gulæ s. AVGVSTINI nondum erat men-
 tio, nec *Regularibus* alia, quàm regula s.
 BENEDICTI erat præscripta. vide dicta
 supra de GEROHON. 19. & 9.

38. DICES 3. *Facultas Parisiensis* da-
 mnavit Sententiam *Erasmi* dicentis: re-
 gulam s. AVGVSTINI solis foeminis esse
 scriptam. Item *Valentinus* dicit, sacrum
 officium jussisse, deleri illud figmentum
Erasmi. Item *Suaret. tr. de variet. relig. l.*
2. c. 8. dicit, istam censuram *Erasmi* ab
 omnibus viris piis meritò damnatam.

Resp. *Facultatem Parisiensem* non da-
 mnâsse istam sententiam *Erasmi*, sed hanc
 sc.

sc. tempore S. AVGVSTINI religiosos non
 vovisse, & neque S. AVGVSTINVM, ne-
 que eas, quas rexit personas NB. *Monachis-*
mus professas. Idem dicendum ad te-
 stimonium *Valentini*: certum enim con-
 tra hæreticos est. S. AVGVSTINI tem-
 pore in *Oriente* vota jam esse facta, ait
 namque S. AVGVST. *tom. 8. in ps. 75. circa*
finem. “Unusquisque Deo, quod vovet
 „ si respicit retrosum, malum est: nescio,
 „ quæ castimonialis nubere voluit, quid
 „ voluit? quod & virgo quælibet. quid
 „ voluit? quod & Mater ipsius, aliquid
 „ mali voluit? mali planè, quare? quia jam
 „ voverat Domino Deo suo &c.” Simi-
 liter & *Monachismus* S. AVGVSTINO, ejus-
 què Discipulis non esse negandum, con-
 stabit ex dicendis §. 6. n. 46. & C. 2. §. 4.
 n. 87. 88.

Ad SVARETZ respondet PAPEBRO-
 CHIVS *l. c. fol. 30.* “in historicis SVAREM
 „ non esse comparandum cum BELLAR-
 „ MINO, cujus in libro de *scriptoribus* lo-
 „ cum (sc. *ex tribus regulis sola tertia est S.*
 „ AVGVSTINI, *sed fœminis data, non viris*) si
 „ præ oculis habuisset, cavisset utique ab
 „ omnibus piis doctisque viris doctissimi
 pi-

„piïssimiquè CARDINALIS sententiam da-
 „mnatam dicere „ idem ibid sc. *in resp.*
ad exhibit: errorum p. 2. fol. 30. sic loquitur:
 „SS. THOMÆ, ANTONINO, VINCEN-
 „TIO, ANTONIO, PATAVINO item
 „GRATIANO, CAJETANO, ALANO si-
 „milibusquè mediï ævi *scriptoribus* aut *Ec-*
 „*clesiasticis* (existimantibus, regulam s.
 „AVGVSTINI ab ipso esse viris datam)
 „nulli dedecori esse, ignorâsse aliquid suâ
 „ætate ignotum, & magno utique studio
 „hisce ultimis sæculis productum, proba-
 „tumquè.

§. V.

Canonici Regulares non derivantur à S. Augustino.

39. OBJICIES 4. *Ordo Canoniorum Re-*
gularium derivatur à S. AVGVSTINO, er-
 gò est antiquior ordine S. BENEDICTI.
 probatur An. ex Historiâ: S. AVGVSTI-
 NVS in sua Hipponensi Ecclesia aliquam
Clericorum Regularium communitatem in-
 stituit, ex qua GELASIVS I. ad summum
 Pontificatûs apicem electus anno 492.
 natione fuit *Africanus*, VALERII imme-
 diatè

diatè ante s. AVGVSTINVM in *Hippo-*
nensi Episcopatu antecessoris filius, eratquè
s. AVGVSTINI Discipulus, ac Consequen-
ter *Canonicus Regularis*. GELASIVS iste
tempore s. LEONIS, si non etiam priùs,
in Italiam profectus, ROMAM appulit,
ROMÆ verò in *Ecclesia Lateranensi Cano-*
nicos Regulares, tamquam suos consodales
instituit, qui ibi usque ad BONIFACIVM
VIII. octingentorum annorum spatio per-
manserunt, & tandem per posteros insti-
tutum s. AVGVSTINI ad modernos *Cano-*
nicos Regulares traduxerunt. Atque hanc
narrationem veritati innixam approbavit
PIVS IV. in Bullâ, in favorem *Canonicorum*
Lateranensium contra *Monachos BE-*
NEDICTINOS Cassinenses expeditâ ROMÆ
18. Jan. 1564. præterea hujus narrationis
veritatem *Breviario Canonorum Regula-*
rium Lateranensium à PIO V. approbato
insertam reperies. demùm regulæ s. AV-
GVSTINI antiquitatem præ regulâ s. BE-
NEDICTI tam authoritas Eminent. S. R.
E. Cardinalis JOANNIS BAPTISTÆ CI-
CADÆ, quàm relatio *Venetis* anno 1584.
impressa probat. *Ad hæc fundamenta non*
in juris, sed facti quæstione consistentia.

40. Resp. I. GELASIVM non AFRVM, sed *Romanum* natum fuisse; ipse enim GELASIVS Patriam suam optimè noscens, se ipsum talem scribit *Epist. 4. ad ANASTASIVM Imp. apud LABBE tom. 4. columnâ 1182. & apud OLDOINVUM ad annum 492. his verbis: quia gloriose fili, te, sicut Romanus natus Romanum Principem amo, solo, suspicio. Nec dicas cum BARONIO: GELASIVM se vocare Romanum natum, sicut PAVLVS Tarsensis se dixit Civem Romanum act. 22. nam contra est: Civem Romanum se vocat PAVLVS, quia ejus Patria jus municipale à Romanis habebat, & amplissimis Juribus à Romanis erat ditata; nil tale constat de Civitate Hipponensi; & datô hóc, posset quidem GELASIVS se dicere Civem, non tamen natum *Romanum*, quia nativitas appellat locum partûs. Accedit, quòd teste MABILLON in replicâ fol. 6. in Conciliorum margine solerter adnotatâ legantur hæc verba: *Romæ natus.**

Resp. 2. VALERIVM S. AVGVSTINI in *Cathedra Hipponensi* antecessorem, non esse patrem ipsius GELASII, nam, ut dicit MABILLON in apol. si GELASIVS fuisset filius istius VALERII, debuisset nasci ante

ante annum 392, quô tempore erat Episcopus *Hipponensis*, adeoque debuiſſet eſſe major plùs, quàm 100 annis, quando fuit promotus ad CATHEDRAM S. PETRI, quod accidit anno 492. nempe 26. annis post mortem S. AVGVSTINI, Quis hoc crediderit? iſtas *Canonicorum Regularium* ſuppoſitiones falſas eſſe, ſufficienter agnovit CARACCIOLVS in ſuis *Eccleſiæ Neopolitaneæ monumentis*, pag. 320. Tamen his datis.

Reſp. 3. Negando, GELASIVM S. AVGVSTINI Diſcipulum fuiſſe *Canonicum Regularem* ex dictis §. I. & ex MABILLON in *repl. fol. 14.* ubi ex libello, cui titulus eſt: *Reſponſum pro Abbate S. GENOVEFÆ*, refert: quod P. GENERALIS *Canonicorum Regularium Congregationis FRANCIE* fratribus PISONIO & DANÆO, BONIFACIVM *presbyterum Hipponenſem* fuiſſe *Canonicum Regularem* ſub Sancto AVGVSTINO, aſſerentibus reſponderit, eo tempore *Canonicos nondum diviſos fuiſſe in Regulares & Sæculares*, nec votis ſe obſtrinxiffe, & BONIFACIVM *ſimplicem Canonicum Eccleſiæ Hipponenſis* fuiſſe, id eſt, *Canoni iſtius Eccleſiæ inſcriptum.* Conſequenter GELA-

SIVS non potest dici, transtulisse *Canonicos Regulares* S. AVGVSTINI ad Ecclesiam *Lateranensem*. Hinc

41. Resp. 4. Negando, à GELASII tempore *Canonicos Regulares* fuisse in Ecclesia *LATERANENSI* usque ad BONIFACIVM VIII. patet ex dictis, & mox dicendis patebit: S. BENEDICTVS ipse (qui jam sub GELASIO I., referente FORESTI, ex latebris sublacensibus orbi cœpit clarescere) postquam constructo *CASSINENSI MONASTERIO* interfuerat *Lateranensi Concilio*, sive Romano anno 530. à BONIFACIO II. vocatus, & exoratus Monachorum *Coloniis* (ait BVCELINVS in *nucl. universalis Hist. ad annum 531.*) instruxit omnes urbis Ecclesias, & inter illas *Lateranensem* incoluit, postea præficiens illi ex Discipulis suis Abbatem VALENTINIANVM tempore S. GREGORII M. vitâ sanctè functum.

Quem verè huic Ecclesiæ *Lateranensi* præfuisse, ipse S. GREGORIUS irrefragabili suo testimonio asseruit l. 2. *Dialog. in principio*: „Hujus (S. BENEDICTI) ego „omnia gesta non didici, sed pauca, quæ narro,

„narro, quatuor Discipulis ejus referenti-
 „bus, agnovi; CONSTANTINO, sc. Re-
 „verendissimo valdè viro, qui ei in Mona-
 „sterii (CASSINENSIS) regimine succes-
 „sit, VALENTINIANO quoquè, qui an-
 „nis multis *Lateranensi* Monasterio præ-
 „fuit &c.” Cui (ut recenset MARCVS
 ANTON. SCIPIO *in elogiis Abbat. Cassin.*)
 successit GREGORIUS, GREGORIO THEO-
 DORVS sanctus, s. THEODORO JOAN-
 NES, JOANNI LEO, LEONI VRSVS,
 VRSO AGAPITVS &c. &c. omnes abba-
 tes BENEDICTINI *Lateranenses*. Sic &
 testatur *Benedictina Patrum* anno 1520.
 impressa c. 53. *in Ecclesiâ Constantinianâ,*
quæ & Lateranum Palatium vulgariùs dicitur,
primum post s. ERASMVM (Ecclesiam in
ædibus paterniss. PLACIDI constructam)
Monachi illi prædicti (sc. s. BENEDICTI)
inhabitaverunt &c. &c. Audiatur & PAV-
 LINVS Doctor *Parisiensis* apud ANGE-
 LVM *de nuce, chron. Cassin. n. 1819.* testificans :
 „Vivente adhuc s. P. BENEDICTO, RO-
 „MÆ vigente cœlestis Patriæ desiderio,
 „omnes Ecclesias titulas, atquè collegia-
 „tas Monachales factas fuisse. Quin imò
 „B. PETRI Ecclesiam tribus Monacho-

„rum collegiis, & eorum frugè vitâ ador-
 „natam, unum dictum S. STEPHANI, al-
 „terum S. JOANNIS & PAULI. 3tium S.
 „MARTINI. sic apud *Lateranum* SS. PAN-
 „CRATII, JOANNIS BAPTISTÆ &
 „EVANGELISTÆ.„ Ita citatus author &
 præter alios multos CAJETANVS, MAR-
 GARINVS, MARCHESIUS.

Monasterio *Cassinensi* à Tyranno LONGOBARDORVM subverso, S. BONITVS Abbas *Cassinensis* quintus cum fratribus ad *Lateranense* Monasterium confugit, ex quo quotannis duodecim monachi ad *Cassinense* monasterium in custodiam Corporis S. BENEDICTI sunt missi, donec CASSINO restauratô annô D. 719. GRËGORII PP. II. 4tô, eidem S. PETRONAX Abbas præficeretur, cui & 32. annos præfuit, videatur etiam ARNOLDVS WION *lig. vit. l. 1. c. 3. § 5.*

42. Confirmatur responsio ex sermone S. STEPHANI III. PP. habito in CASSINO præsentibus Regibus CARLOMANNO, ac PIPINO, hujusquè filiis CAROLO & CARLOMANNO JUNIORE, item aliis *Romanis* Patritiis, in cujus
 fine

fine ad s. BENEDICTVM perorans, sic loquitur: „Ave prædicator veritatis & Doctor Gentium! Ave legislator universalis, Ave Abba Abbatum &c. &c. tuus ego, & hi septem Episcopi, tuus clerus, tuus populus *Romanæ* urbis, tui & hi patritii, tua *Lateranensis* Ecclesia, in qua alitutus & nutritus es, tuum *Cassinense* Cœnobium, in quo corpore & spiritu habitas; „ non patiaris nos ovilibus tuis excludi &c. Item ex Epistolâ *Benedictinorum* siculorum ad CASSINENSES datâ, cui hæc erat inscriptio: *Sanctæ ac Deo dignæ Congregationi Cassinensi, Lateranis degenti, Servi & filii eorum in Sicilia commorantes.* habetur apud TAMBVR. de iure Abb. tom. 2. Disp. 24. quæst. 5.

43. Hanc *Lateranensem* Ecclesiam, juxta MABILION in apol. tenuit ordo *Benedictinus* annis quingentis, usque ad ALEXANDRVM II.; postquam enim LEO IX. Papa electus anno 1049. in *Lucensi* Ecclesiâ clericos ad communem vitam reduxit, ejusdemquæ vitæ communis institutum, quod apud aliquos in *LOTHARINGIÆ* Ecclesiis CHRODOGANGI Episcopi *Mentensis* regulam sequentes, viderat, LVCÆ

plantavit, ALEXANDER II. Papa electus anno 1061. Ex hac communitate LVCENSI, ubi ante Papatum Episcopi dignitate fulgebat, *Canonicos* evocavit, ac Ecclesiam *Lateranensem* eis primò tradidit. Quiquè in eâ perseverârunt usque ad tempus BONIFACII VIII. in Papam electi anno 1294. *Benedictini* tamen non videntur per ALEXANDRVM II. omninò esse eliminati, quia INNOCENTIVS II. anno 1130. electus Papa, fuit *Benedictinus Lateranensis*, ut patet ex BARONIO, qui ad annum prædictum sic scribit: „IN-
 „NOCENTIVM fuisse Monastici ordinis,
 „accepimus ex archivo Tituli S. PRAE-
 „DIS: *Domnus GREGORIUS Monachus*
 „*Lateranensis*, Cœnobii S. JOANNIS BAPTI-
 „STÆ, JOANNIS EVANGELISTÆ atque
 „PANCRAII, idemque Abbas Monasterii
 „SS. NICOLAI & PRIMITIVI, Ordinis S. BE-
 „NEDICTI, qui ab VRBANO Papa II. crea-
 „tus est S. R. E. Diaconus S. ANGELI, mor-
 „tuò HONORIO Papâ, in pontificem legi-
 „timè electus INNOCENTIVS dictus est.
 BONIFACIUS VIII. tandem *Canonicos Sæ-*
culares in eam Ecclesiam invexit, & uti te-
 statur ALBERICVS à Rosate, Decanum eis
 con-

constituit. At EVGENIVS IV. electus anno 1431. in eandem introduxit *Canonicos Regulares* novæ cujusdam Congregationis, ortæ circa annum 1400. authore JACOBO DE BERGAMO, professo ordinis *Predicatorum*, in loco quodam juxta LVCVM inculto, ubi à multitudine *FRISONVM* avium, quæ in *monticulis* habitant, *Frisonariæ* locus dicebatur, consequenter & *Frisonaria* Congregatio dicta est, primò vaga, & sub multiplici habitûs formâ sæpius immutatâ, cujus professi inter *Canonicos Regulares* tandem deputati, pro habitu deferebant caputium, scapulare vulgarter nuncupatum, & cappam nigram, quam cum regulâ noluit abjicere ille JACOBVS BERGOMAS, ut aliquid pristini ordinis retineret. Ita dicente ANTON. MASSA GALEGIO apud TAMBVR. *de jure Abb. disp. 25. qu. 1.* eadem confirmat TAMBVR. *l.c. disp. 26. n. 27.* exceptis, quod ita congregatio fuerit nuncupata FRIGIONARIA, à *sylovâ Frigionariâ* sic à multitudine *Frigionum* dictâ; & instituta sit à D. BARTHOLOMÆO ex nobilissimâ *Columnensium* familiâ; cœterùm, qui modò dicuntur *Lateranenses*, à *Frigionariis* non differre.

44. Post obitum autem NICOLAI V. in Papam electi 1447. præfati *Canonici Regulares Congregationis Frisionariæ*, *Canonicis rursus secularibus* locum cedere cogebantur. Verùm PAVLVS II. Papa, electus 1464. *Canonicos Regulares* immiscuit *secularibus*, atquè, ut isti suis se præbendis abdicarent, totumquè regimen *Canonicis Regularibus* consignarent, insensibiliter quasi disposuit. At isthæc PONTIFICIS MAX. dispositio non diu perstitit immutata, nam sub SIXTO IV. electo 1471. *Canonici Regulares* denuò exesse iussi, in Ecclesiam sibi assignatam, cui à pace nomen erat, se recipere compulsi sunt. à *Laterano* tamen antea possessio, se Congregationis *Lateranensis* nominare cœperunt. Primitus autem sub LEONE X. abjecto Caputiô & cappâ nigrâ cum suis *Rochettis*, sive *Camisiis* albis, & biretis, BENEDICTINIS id non curantibus, in processionibus, tanquam ultimi in Clero sæculari processere, in suis tamen Monasteriis & Ecclesiis, ac per vias publicas caputium & nigram cappam tunc adhuc deferentes, uti patet ex Cit. MASS. GALESIO l. c.

45. En genuinam de *Canonicis Regularibus* relationem ex Authoribus grandis Authoritatis desumptam. Ex quâ manifestè infertur; Ergo GELASIVS non introduxit *Canonicos Regulares* s. AVGVSTINI in Ecclesiam *Lateranensem*, ergo isti ibi non fuerunt per octingentos annos &c. &c. Et obiter hîc advertendum. Si ab Ecclesiæ *Lateranensis* possessione petatur Jus præcedentiæ, potiùs id competet BENEDICTINIS, priùs & diutiùs istam Ecclesiam possidentibus; *potior enim est jure, qui prior est tempore. C. Episcopos, dist. 17. C. Episcoporum distinct. 93.*

De Bulla PII IV. & relatione CARD. CICADÆ dicetur postea. Quid autem dicendum de approbatione narrationis *Breviarii Lateranensium* à PIO V. factâ, patet ex dictis §. 3. n. 23.

§. VI.

Unde Canonici Regulares habeant suum habitum.

46. OBJICIES. 5. *Canonici Regulares* acceperunt suum habitum, sive Rochettum à s. AVGVSTINO quâ *Episcopo*: ergo

go S. AVGVSTINVS illos instituit, ergo sunt antiquiores BENEDICTINIS.

Resp. N. *Antecedens*. I. ex dictis: 2. quia S. AVGVSTINVS ipse talem habitum, quæ *Episcopus* non habuit, dicit enim VIRG. ALVISETVS *Sect. 3. fol. 204.* “Ex ipso ju-
 ,,re discimus, Rochettum fuisse attribu-
 ,,tum Episcopis ab INNOCENTIO III,
 ,, (ut videre est in C. *Clerici Officia de vitâ*
 ,, *Et bon. Cler.*) quô, cum S. AVGVSTINVS
 ,, longè sit antiquior, quomodo potest di-
 ,, ci usus Rochetto, aut illum suo ordini
 ,, tradidisse?,, ad quæ, cum COMMENT-
 TATOR altum sileat, ea hîc cum P. EG-
 GER in memoriam revoco. 3. ut docet
 SVARETZ *tom. 4. de virtut. Et staturelig. l. 2.*
 c. 8. “S. AVGVSTINVS Monachus fuit, &
 ,, religionem Monachalem instituit, & c. 9.
 ,, ait: ex vita FVLGENTII c. 18. colligitur,
 ,, similem habitum (*cucullam nigram Eremi-*
 ,, *tarum*) portâsse in Monachismo, & ita
 ,, illam amâsse, ut in Episcopatu illam non
 ,, reliquerit.,, S. AMBROSII irrefragabile
 testimonium est *part. 3. serm. 94. sc. S. AV-*
 GVSTINVM à se baptizatum, novum Chri-
 stianum novis vestimentis, cucullâ nigrâ induis-
 se, cingulo ex corio præcinxisse; quod SIM-
 PLI-

PLICIANVS donaverat. 4. Quia S. AV-
GVSTINVS laneum habitum habuisse il-
las personas, quibus scripsit ipsam, nunc
Canonicorum Regularium regulam, supponit
ipse, dum c. 7. dicit: *indumenta vestra la-*
ventur, sive à vobis, sive à Fullonibus. Ful-
lones enim (ait BVSCHIVS *Canon. Regular.*
l. 2. de reform. Mon. c. 31.) non lineum, sed
laneum pannum faciunt & lavant. Item
eòdem cap. S. AVGVSTIN. dicit: *vestes*
esse excutiendas, ne à tineâ ledantur; con-
stat autem Linea à tineâ minimè lædi. 5.
quia ante sæculum decimum quintum *Ca-*
nonici Regulares Ord. S. AVGVSTINI non
habuère illum habitum, quem habent mo-
dò. non diffitebuntur hujates *DD. Sulten-*
ses, Georgi-Montani, Richenbergeses, Ham-
merslebenses &c. Monasteria sua, seu, ut
dici amant, *Canonias* ante annum 1400.
jam ab ipsis *Canonicis Regularibus Ord. S.*
AVGVSTINI fuisse occupatas, manifestè
autem patet ex JOANNE BVSCHIO, ante
annum 1400. in nullo talium monaste-
riorum talem fuisse *habitum*, qualis est mo-
dò. Audiamus BVSCHIVM *Canonicum*
Regularem, professum in Windesem, Præposi-
tum

tum in SVLTA propè Hildesum, Reformationis promotorem Zelosissimum.

47. Celeberrimus hic vir refert de reform. Monast. C. 11. quod cum *Clementina* „contra *Beghards & Beghinas* ubique erat „promulgata, octo inclusi, qui in *Witten-* „*borg*, *Hildesemensis Diocesis* habitabant, „timentes per illam etiam se turbari, cum „viverent sine regula; de *Concilio D. De-* „*cani in monte s. MAVRITII*, habitum „*Canonicorum regularium*, tunc portari con- „suetum assumpserint, post 200. autem „annos, audientes *Wundesemensium* bonam „conversationem, se eis adjunxerint, eo- „rumquè habitum susceperint anno 1423. Quisnam autem fuerit ille habitus ante reformationem *Wundesensem* portari consuetus, colligitur ex eodem *BVSCHIO*, dum c. 3. narrans occasionem, quâ *Capitulum Nussiense* (cui & *Monasterium Böldicense* per *WILHELMVM Episcopum Paderbornensem* circa annum 1409. de statu *Canonicarum secularium* ad observantiam *Canonicorum regularium* translatum, unicum erat) assumpserit reformationem *Wundesensem*, refert verba *Archiep. Coloniensis*, istam accessionem urgentis circa annum

1424.

1424. dixit Archiepiscopus, accipiens *timpam*
cappæ Præpositi (Nussiensis) non obest vobis
aliud, quàm illud *livipipium*, designans ca-
putium istius habitûs, inferiùs strictum, supe-
riùs Latum; *livipipium* enim secundùm
LEIBNITZ est longa *fascia* vel *cauda ca-*
putii. Et iterum, dum reformationem per
se in SVLTA anno 1439. cœptam descri-
bens ait: "Anno 1440. fratres antiqui ad-
„huc habitum deferebant antiquum, vi-
„delicet Scorlicium, sive Sarrociùm - - -
„in die s. GALLI in domo Capituli Præ-
„positum antiquum & omnes fratres anti-
„quos habitum nostrum induimus; pri-
„mò tunicam, dictam subtile superpelli-
„ceum, & almucium, nobis concessa, quæ
„ipsi non habuimus,„ in Manuscripto Ki-
„loniensi sic legitur: "primò tunicam lon-
„gam albam, deinde subtile superpelli-
„ceum, nobis de *Wittenborg* concessa, quæ
„ante non potuimus præparare. Omni-
„bus igitur fratribus sic indutis, & antiquis
„vestibus, scorliciiis nigris seu griseis tunicis
„longis exutis, ad chorum processimus.„
& in priori loco sic pergit: „In *aureâ mis-*
„sâ singuli in ordine nostro stetimus, &
„nos reformatos *habitu* ostendimus, in
mul-

„multorum admirationem, qui tales Ca-
 „nonicos, tales *habitus* nunquam antea vi-
 „derant.” Similiter anno Domini 1443.
 ipse BVSCHIVS persuasit Paulo Præposito
 ad s. MAVRITIVM Hallis, ut vetere de-
 positô, novum *habitum* Canonorum regula-
 rium assumeret, aliàs confirmationem ab
 Archiepiscopo non accepturus: & accessi,
 inquit BVSCHIVS, & scorlicium suum exui,
 & subtile nostrum sibi indui. Quale sit istud
 scorlicium, ROBERTVS RICHARDINVS
 in suis, in regulam s. AVGVSTINI commen-
 tariis anno 1530. Parisiis editis, specialius
 exprimit his verbis: Cappa exterius nigra,
 quasi saccus perforatus, in signum poenitentie
 & contemptûs mundi, cui apponitur Caputium
 inferiùs strictum, superiùs latum. Quali in-
 dutus fuit ille, quem in visitatione Mona-
 sterii ad albas Dominas (Moniales Ord. s.
 MARIE MAGDALENÆ) ERFORDIÆ sibi
 adversantem sic describit BVSCHIVS c. 23.
 Patrem quendam magnum staturâ in longâ ni-
 grâ togâ usque ad talos protensâ, incedentem
 caputio nigro magno, cum liripipio seu timpâ
 caput tegentem &c.

48. Cum reformatione ergo Windese-
 mensi susceptus est in hisce partibus habi-
 tus

rus modernus *Canonicorum regularium* primo à *Wittenborgensibus*, uti dictum, anno 1423, deinde à *Richenbergensibus* ao. 1429. secundum *BVSCHIVM* c. 12. Alii autem istam reformationem *Windefemensem* cum habitu suscipere recusabant; " Anno enim 1435. Dominicâ *Exurge*: conspiraverunt *Præpositi*, *Joannes Scheningensis*, *Joannes Hamerslebiensis*, *Joannes Halberstadiensis*, *Hermannus Kaldenburnensis*, *Hermannus Furgenbergensis* seu *Georgi-montanus*, *Joannes Sultensis* sc. *Driborg* defendere se privilegio *Papæ EVGENII IV.* contra *Windefemenses* & contra ordinationes *CONCILII BASILEENSIS* contra reformationem." vid. *LEIBNITZ tom. 2. pag. 488.*

49. Acceptârunt tandem *Monasteria*, *Sultense* anno 1440. per *JOANNEM BVSCH*, *s. PANCRATII* in *Hamersleve* anno 1452. per *JOANNEM HAVEKENSCHEDÉ* *Priorem* in *Richenberg*, sed *s. JOANNIS Halberstadii* incolæ per ipsum *JOANNEM BVSCH* (relictâ *SULTA* *Præpositum* in *Novo Opere Hallis*) & *Paulum Præpositum* ad *s. MAVRITIVM* ibidem, item *BORCHARDVM* *Episcopum Halberstadiensem*

F

fuere

fuère quidem inducti ad hoc, ut promitterent, se suscepturos reformationem. BVSCH. c. 24. Ast minimè servâsse patet exinde, "Quia, dum anno 1482. ERNESTVS Episcopus Halberstadiensis volebat reformare juxta *Hallensium* ritum Monasterium *Scheningen*, *Halberstad* & *Caldeborn*, petit *Joannes Badendal*, Præpositus *Scheningensis* Bullam EVGENII, quam vocant *AVREAM*, à Monasterio *Fargenbergha* ad sui defensionem contra *habitum* & *statuta*." apud LEIBNITZ tom. 2. p. 488. Ex quibus colligitur *Georgi-Montanos*, utpote *Scheningensibus* &c. consentientes anno 1482. nondum habuisse *habitum* modernum, ac proinde nimium voluntariè s. BENNONI talem *habitum* affingere.

INFERO: Ergò *Moderni Canonici regulares* non accepere à s. AVGVSTINO *habitum* ordinis sui distinctivum, ergo nec ab ipso sunt instituti aliter, quàm *Dominicani*, aliique sub ejus regulâ militantes.

50. QUÆRES: Unde ergò habent istum *habitum*? Respondet COMMENTATOR fol. 186. à *Lateranensibus* genuinum s. AVGVSTINI sensum, vivendi formam, ac pro-

proprium habitum, id est Rochettum accepisse. Hæc responsio, quid veritatis habeat, patebit ex sequenti narratione ex LEIBNITZII *intr. ad tom. 2. pag. 40.* & JOANNIS Legatii Chronico Monasterii S. GODEHARDI l. 2. n. 1. &c. desumptâ.

Sub initium Sæculi decimi 5ti primus Congregationis *Windefemensis* author fuit GERARDVS Grote, seu MAGNVS, patriâ *Daventriensis*, professione *Theologus*, excitatus, ut refert THOMAS à KEMPIS in ejus vitâ, verbis & scriptis JOANNIS de RVSENBROUC, vulgò *Ruisbrochii*, insignis mysticæ Theologiæ Doctoris, qui (referente AVBERTO MIRÆO in *chron. ad annum Domini 1381.*) cum annos plurimos *Bruxellis* in templo *S. Gudulæ* sacerdotium habuisset, jam sexagenarius sæculo valedicens, in *viridi valle BRABANTIÆ* habitum *Canonicorum Regularium* induit, ubi *Prior* electus est, & anno ætatis octogesimo octavo in Domino obdormivit.

Hujus, inquam, verbis antea excitatus *Gerardus* postea, Parisios reversus, abdicatis *Ultrajectino & Aquisgranensi* Canoniciatibus extitit author *vitarum*, ait *Joannes Legatius* de *Communi vitâ clericorum* (à

SCHIPHOWER in chron. Oldenburg. dicitur Fratrum *Lullerdorum* primatum gerens) Hic simul ac hunc vivendi ordinem condiderat *Daventriæ*, *Windesem*, Monasterium (quod hic vocatur per anticipationem) *Canonicorum Regularium*, ultimâ voluntate petierat ædificari. Post mortem plerique missi sunt ex Discipulis ejus ad regulam Divi AUGUSTINI diversaturi, quò ubi venerunt, vitam *Canonicorum* assumpserunt, sine justæ causâ querelæ viventes; post *Windesem* fundatur *Northorn*, observantiæ ejusdem in Dicecesi *Monasteriensi* OTTONE Episcopo, qui fuit frater JOANNIS Episcopi *Hildesensis de Hoja*, assentiente. Ex *Northorn* de observantia *Windesemensi* reformationem capit *Witzenborg*, de quo supra. Sicquè successivè per *Saxoniam & Belgium* multa sub observantia *Windesemensi* congregata sunt cœnobìa, inter quæ fuit & ipsum *viridis vallis*, annitente *Petro de Alliaco* Episcopo *Cammeracensi*, hòcquè modo Congregatio *Windesemensis* prodiit & crevit, multùm ad ejus incrementum conferente *BVSCHIO* sæpe Laudato.

51. Cùm

51. Cùm ergo ante ortum Congregationis *Windesemensis Canonici Regulares Ordinis* S. AVGVSTINI adhuc habuerint suum scoricium nigrum, & circa illud tempus primò floruerit Congregatio *Frisonaria* vel *Frigionaria* juxta TAMBVR: *Disp.* 26. n. 27. de quâ supra, multis ad eam accedentibus viris religiosæ conversationis, bonæquè doctrinæ, ut dicitur apud TAMBVR: (modò, ut dicitur infra C. 2. §. 2. n. 74. *Windesemensibus* non esset contraria cura animarum, & usus biretorum, quæ tamen modernis Lateranensibus, olim *Frigionariis* sunt propria) verisimile est, ad aliquod è dictæ Congregationis Monasteriis missos esse Discipulos GERARDI GROTEN (de quibus LEGATIVS, locum non exprimens) & inde cum vitâ *Canonicorum*, & habitum ex parte assumpsisse, ac postmodum aliis suæ congregationi unitis communicasse; & videntes, ut ait BVSCHIVS in *chron. Windesemensi* l. 1. c. 24. se sine specialibus constitutionibus regulam S. AVGVSTINI observare non posse, per deputatos statuta aliqua specialia composuisse; sicquè suo modo dari posse COMMENTATORI, modernos *Canonicos Regulares* aliququaliter

vivendi formam, ac proprium & primæ-
 vum habitum, id est Rochettum accepif-
 se â Lateranensibus, qui tum temporis
 Congregationis Frisonariæ vel Frigiona-
 riæ dicebantur: Quodquè Rochettum
 (quia isti Frisonarii Lateranensem Eccle-
 siam ab anno 1431. incolebant) postea
Buschius in visitatione Monasterii s. JOAN-
 NIS Halberstadii Romanum appellavit.
 Audiatur autem & JOANNES *Schiphower*
 Ord. Eremit. s. AVG. scriptor suo ævo
 clarissimus, qui in chronicis Comitum *Ol-
 denburgensium* anno 1508. completis cap.
 18. sub initium dicit, ipsum Gerardum GRO-
 TEN regularibus suis alienum ab aliis reli-
 gionibus habitum dedisse. & sic pergit: hæc
 „novella plantatio circa annum Domini
 „ut supra, sc. 1400. cœpit, non video,
 „quomodo traditum sibi ab AVGVSTI-
 „NO habitum per legitimas successiones
 „servaverit, cum alius aliorum, & alius
 „suus sit habitus, quomodo ergo creden-
 „dum sit, eos ab AVGVSTINO institutos
 „fuisse, non video, veritatem quippe in hoc
 „meditabitur guttur meum, & labia detesta-
 „buntur impium. proverb. 8. nam ut verum
 „fatear, ipsi regulares sunt in multiplici
 disse-

„differentia, & à se ipsis moribus, *habitu* at-
„que statutis dissident, & pro regnorum
„diversitate plurimum à se ipsis sunt di-
„scordes. nequè opus est ingenti ratione
„hæc ipsa fulcire, cum cunctorum oculis
„aperta sint atque perspicua, quia altiùs
„repetentes suæ primitivæ institutionis
„originem, arte quâdam & ingenio anti-
„quitatem sibi usurpare, & acquirere sa-
„tagunt, asserentes, se à B. MARCO EV-
„ANGELISTA religionis suæ assumpsisse
„primordia, atquè, cum temporum pro-
„cessu eorum intepuisset religio, à B. AV-
„GVSTINO se se asseverant reformatos,
„quod pio magis desiderio opinantur, &
„fucatæ rationis stabiliunt munimento;
„quam inconcussâ veritate defensare po-
„tuerunt: putant enim (*quia pondere nova*
„*carent*) si neophyti probentur atque no-
„vitii, pro nihilo habeantur, & inter reli-
„giosos reliquos novissimum obtineant
„locum. Unum est, quod eos maximè
„convincit, quò adstruere modis omni-
„bus invigilant, s. AVGVST. subtile gessif-
„se, & in suo incessisse *habitu*; respon-
„deant, quo obsitus fuerit amictu *regu-*
„*larium*? quid ergo pro regionum pro-

„vinciarumquè diversitate eorum quoquè
 „habitus diversus sit? *neque enim potest ve-*
 „*rum esse, quod diversum & varium,* ut ait
 „Rhetor eloquentissimus beatus HIERO-
 „NYMVS. hîc non habent, quid respon-
 „deant. Sed ut & hoc inseram, suorum
 „*habitus* adhuc intra centum annos ab
 „Apostolico eis in privilegio decretus at-
 „què collocatus, qui non ille fuit, qui eis
 „primâ successione obvenit. hoc de re-
 „gularibus refero, qui sub Capitulo *Win-*
 „*desemensis* degunt; de aliis, qui eundem
 „titulum habent, vide in sermone de or-
 „dinibus, quem ego fraterculus prædi-
 „ctus ex diversis chronicis anno M. D. in
 „Civitate *Oldenburgensi* collegi; ita ille: tam
 „recens est hic habitus, tantùm abest, ut à
 „S. AVGVSTINO, quâ Episcopo derivetur!

52. Non ergo COMMENTATOR *habi-*
tum suum usque ad Episcopalem, nec ad
 Cardinalitium, multominùs ad Papalem
 usquè extollat, uti audet *fol. 184. 239.* Sed
 ut à GERHARDO Grote acceptum, vel for-
 tè à FRISONARIIS emendicatum, inter
 cancellos religiosæ paupertatis in regulari
 vestiario asservet, memor olim in Abba-
 tia S. GENOFEVÆ (*ut habet vita WILHEL-*

MI Reschildensis) *Canonicorum regularium habitum* non fuisse Episcopalem, multò minùs Papalem, sed *pannosum* & *ex abjectis vestibus*.

Acriori lixivio hïc diluenda forent, quæ ipse COMMENTATOR fol. 54. & 82. de Monachorum *habitu* à tot Sanctis, tot Imperatoribus & Imperatricibus, Regibus & Reginis gestato, à tot summis Pontificibus miris encomiis deprædicato probrosè scribit; sed quia ejus petulantia jam à FELICE EGGER, CORBIANO KHAMM. &c. sufficienter est castigata, acquiesco, ne pluribus bilem moveam. Venerandus est cujuscunquè Ordinis, ab Ecclesia approbati, approbatus *habitus*, & religiosè, non cum *Circumcellionibus* contumeliosè tractandus, nulloquè modo in ejus contemptum sacri *Canones* injuriosè detorquendi.

§. VII.

An Ordo *Canonicorum Regularium* trahat suam originem ab Apostolis?

53. OBJICIES 6. ORDO *Canonicorum*
F 5 Re-

Regularium fundatores habet Apostolos, ergo est antiquior ordine s. BENEDICTI. probatur anteced. Multi summi Pontifices hoc dicunt, ideoquè eundem Ordinem vocant Apostolicum; & *Act. c. 4.* multitudo fidelium, *quorum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia,* quid erat, quàm *Congregatio Canonorum Regularium?*

Resp. I. *retorquendo:* Ordo Monachorum trahit suam originem ab Apostolis, hosquè habet fundatores, ergo. *probat* anteced. dicitur in *Concilio anno 844. habito THIONVILLE, seu ad VILLAM THEONIS,* sacrum Monasticum Ordinem à Deo inspiratum, & ab Apostolis fundatum, in *Decreto Conc. Nemeausensis anno 1069. celebrati cum BONIFACIO IV. & VRBANO II.* Monachi sacerdotes laudantur, quod digniùs cœteris, Sacramenta administrent, quoniam secundùm regulam Apostolorum vivunt. Et expressè dicitur in *Can. ex auctoritate 16. q. 1.* sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus. Sic Patres CONCILII GERMINIACENSIS anno 843. habiti ajunt, ordinem Monasti-

nasticum esse illum, qui Apostolicæ perfectioni meliùs congruit. sic Concilium SIEGESTERONENSE habitum, anno 859. censet ordinem monasticum illum esse, qui Apostolicæ perfectioni viciniùs adhæret. Sic s. HIERON. de *Script. Eccles.* in fine asserit: *talis primò credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachos (non Canonicos Regulares, ut vult COMMENTATOR,) esse censemus.* Idem dicit CASSIANVS &c. &c. specialiter de ordine s. BENEDICTI, s. BERNARDVS *serm. de diversis serm. 27.* ait:

„ Quoniam Apostolicam nos omnes vitam professi sumus, Apostolicæ professioni nomina dedimus universi. & *apol. de vita & moribus religios. C. 9.* exclamat:

„ Heu me miserum, qualemcunque Monachum! cur adhuc vivo! videre, ad id devenisse ordinem nostrum, ordinem scil. qui primus fuit in Ecclesia (*Orientali approbatus*) quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cœlis est; JERUSALEM mater nostra, sive ob decorem castitatis, sive propter charitatis ardorem, cuius *Apostoli institutores*, cuius hi, quos PAVLVS tam sæpe sanctos appellat, inchoatores

ex-

„extiterunt.” Si autem *DD. Canonici* ad vetus testamentum recurrerint, haud difficile erit ex eodem cum FELINO BARTHOLOMÆO CASSANÆO, Authore historiae scholasticae &c. &c. & Monachismi existentiam evincere, ne dicam, quod apud LEIBNITZ *tom. 2. pag. 87.* non nemo (an aptè, an ineptè, non disputo) reperitur, dixisse, ante hominis lapsum Deum in paradiso Monasterium instituisse.

54. Resp. 2. D. Antecedens: Ab Apostolis habet suam originem *idealem* sive exemplarem C. *formalem* N. nimirum institutio & vita Apostolorum est tantum exemplar, norma, figura & *idæa* vitæ *Canonicorum Regularium*, sicut & Monachorum, illiquè eorum sunt quasi fundatores; sicquè intelligendi sunt Summi Pontifices &c. &c. prout ipsemet COMMENTATOR *fol. 242.* interpretantes Summos Pontifices, dum appellant s. AVGVSTINVM fundatorem ordinis *Canonicorum Regularium*, ait: eos loqui de s. AVGVSTINO, *quasi fundatore*, minùs rigorosè, seu quasi secundo fundatore.

55. Ad id quod dicitur *ex Actis Apost.* in quo

quo palmaria ratio consistit juxta COM-
MENTATOREM *fol. 228.*

Resp. Cum THOMASSINO *p. 1. l. 3. c. 2.*
n. 3. "Illa vitæ communis professio, de
"quâ LVCAS in Actis, non Apostolos so-
"lùm, & Discipulos, hoc est, non clerum
"duntaxat complectebatur, sed fideles et-
"iam Laicos & conjugatos, & muliercu-
"las, puerosquè & innuptas puellas. Ita-
"què Clericalis non potest dici, ea fuisse
"congregatio: plures alias à PAVLO con-
"ditas Ecclesias commemoravit LVCAS
"in actis, quas utiquè non fraudâisset eo-
"dem, quò Hierosolymitanam decoravit,
"elogio, si quid in illis ejusmodi compe-
"risset - - - denique prima Apostolorum
"coadunatio & Discipulorum & fidelium
"non in alio posita erat, quàm in abdic-
"tione rerum temporalium, quam non
"pauci profitebantur, & in distributioni-
"bus ad omnes porrigebantur, prout cui-
"que opus erat. Coeterùm, ne fieri qui-
"dem poterat, ut vel easdem ædes inco-
"lerent, vel eidem omnes accumberent
"mensæ. non dissimulamus autem ean-
"dem rerum temporalium communio-
"nem, & erogationes sportularum viguif-
se

„se in Ecclesia, in primis illis exordiis, ubi
 „pro modo necessitatis, ordinis & labo-
 „ris de Fisco Ecclesiæ omnibus provide-
 „batur. verum argumento id ipsum est,
 „non eam verè dici potuisse clericalem
 „congregationem.” Ita ille: legatur hi-
 „storia de ANANIA & SAPHIRA in *Actis*
 „cap. 5. Pergit THOMASS. *l. cit.* „Si enim
 „clerici communem agitassent vitam, non
 „eos appellasset *Sportulantes fratres* CY-
 „PRIANVS; non idem divisiones men-
 „struas commemorasset, nec junioribus
 „clericis, qui specimen aliquod ediderunt
 „invictæ in fide Christi constantiæ, attri-
 „butæ essent æquè uberes, ac presbyte-
 „ris: *Sportuliis iisdem cum presbyteris hono-*
 „*rentur*; non præciperet CYPRIANVS de
 „ea, quæ sibi obvenerat, portione eroga-
 „ri aliquid pauperibus: *de quantitate meâ*
 „*propriâ*: AVTHOR constitutionum Apo-
 „stolicarum non præscriberet inæquales
 „portiones bonorum Ecclesiæ Clericis
 „quibusque pro suo ordine, merito, & la-
 „bore admetiendas. Nihil istiusmodi
 „nunc, nihil præteritis sæculis in Mona-
 „steriis vel congregationibus, ubi æqua
 „& communia omnibus omnia.” Ha-
 „tenus

tenus THOMASSINVS: non solum nullam congregationem clericalem in communi viventem, sed insuper nullam congregationem voto paupertatis (multò minus tribus votis, qualiter *Canonici regulares* (astrictam, ex actis Apostolorum probari posse disertè affirmans: Sicut & tribus primis sæculis propter continuam persecutionem, nulla vel Monachorum vel clericorum congregatio esse potuit. Summariè rem dicit HIERON. ROM. l. 6. de rep. Christiana cap. 4. & 6. *Canonicos regulares* ortum non duxisse ab Apostolis, imò neque ipsos esse ex antiquis illis clericis à D. AVGVSTINO reformatis, ii enim fuerunt *Canonici Cathedrales*, non *regulares*, de quibus hîc est sermo.

56. Hinc patescit, quàm ineptè, ne dicam contumeliosè COMMENTATOR fol. 50. scribere non vereatur, clericos sæculares esse juniores *Canonicis Regularibus*, ex hac ratione: *cùm in primitivâ Ecclesiâ nemo non clericorum fuerit Regularis, secularitate postea per relaxationem & abusum introductâ, ut alibi dicemus.* Postea autem fol. 241. isthæc verba confirmat, atque ideo fol. 84. omnes sanctos Sacerdotes, Diaconos,
Sub-

Subdiaconos, & Ministros Ecclesiæ suo arroganter, si non impudenter, adscribit ordini. Certè cum P. EGGER in *Idea Ord.* fol. 330. persuadere mihi non possum, quòd ille hominum status, qui à primâ suâ institutione à sanctæ vocationis legibus degeneravit, nihilominus & floreat præ cæteris, & in Ecclesiæ Hierarchiâ supremum Excellentiæ gradum, constituat; non capio, quomodo licentiæ & abusûs, & relaxationis torpore oblecti, tot jam sæculis Ecclesiæ præsunt Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, Papæ: quomodo Divina sustinuerit clementia & providentia eos, potissimum in terris gerere Christi vices, qui à primævâ Apostolicæ vitæ normâ degeneres, in laxioris vitæ rationem defluerunt.

57. INS. Summi Pontifices, BENEDICTVS XII. & EVGENIVS IV. apertè testantur, *Canonicos Regulares* jam tempore Apostolorum fuisse, & exinde PIVS IV. litem de præcedentiâ definivit pro *Canonicis Regularibus Lateranensibus*. Resp. Cùm PAPEBROCHIO S. J. in resp. ad exhibitionem errorum fol. 54. 56. 59. 60. 61. & 65. „posse Pontifici etiam frequenti consideratione-

derationis indagine, & intra claustra pe-
 ctoris sollicitâ meditatione discutienti (his
 nempe verbis utitur BONIFACIUS
 VIII.) obrepere quidpiam in iis, quæ pu-
 rè historica sunt, atque illa, quæ in di-
 plomatibus tantùm narrative, non asser-
 tivè referuntur, pondus adeò grave inde
 non accipere, ut de ejus veritate non li-
 ceat dubitare. Pontificem enim & Con-
 cilium generale cum Pontifice errori
 obnoxium esse in judicandis *facti particu-*
laris quæstionibus, omnes fatentur tum
 Catholici, tum hæretici, teste BELLAR-
 MINO l. 4. de Pontifice C. 2. Quis enim
 à Romanis Pontificibus in quancunque
 momenti negotiis majorem exigat, di-
 stinctioremquè rerum præteritarum sci-
 entiam, quàm sua cujusquè ferebant
 tempora? inde authoritati Pontificiæ nec
 quidquam derogatur, quando versantur
 in materia nempe historica, in qua se
 homines esse, & humani à se nihil alie-
 num putare profitentur. Quocirca, quan-
 do Catholici sedem Apostolicam profi-
 tentur veritatis Magistram, non volunt
 significare, Pontificem numquam errare
 in factis particularibus posse, circa quæ

G

fidem

„ fidem universæ Ecclesiæ Pontifices non
 „ exigunt, neque ad ejs spectant incolu-
 „ mitatem; sed significare volunt, sedem
 „ Apostolicam errare non posse in fidei &
 „ morum definitionibus &c. &c. ita *Pape-*
 „ *brochius*.

58. MABILLON ad rem sic loquitur in
repl. fol. 59. “ Non credimus in debitam
 „ Romano Pontifici reverentiam delinqui,
 „ si dicatur, simplex enuntiatum Bullæ in
 „ facto historico, præsertim tam antiquo,
 „ nihil ad rei summam conferre. *Et post-*
 „ *quam plura adduxit exempla, sic pergit:* ni-
 „ hil ergo in reverentiam Pontificis com-
 „ mittimus, cum dicimus, simplex enun-
 „ tiatum Bullarum BENEDICTI XII. &
 „ EVGENII IV. de antiquitate *Canonico-*
 „ *rum Regularium*, non esse sufficiens ad de-
 „ cidendum factum mille & quadringen-
 „ torum annorum, quam ætatem præ se
 „ fert somniata *Canonorum regularium* an-
 „ tiquitas. Idem dixeris de Bulla PA-
 „ SCHALIS II. quæ tantopere laudatur
 „ ut Patrona antiquitatis *Canonorum Regu-*
 „ *larium*, ad ipsa tempora Apostolorum re-
 „ lata. hucusquè MABILLON. Consen-
 „ tit BURGHEIVS sac. aul. Consistorii Ad-
 „ voca-

vocatus PAVLI. V. P. genitor, in suo Con-
 filio pro BENEDICTINIS contra Latera-
 nenses dato, citans FELINVM post alios,
 quos refert ipse FELINVS in *can. illud col.*
fin. & Conf. 539. col. 1. Ruin. conf. 157. n. 25.
l. 1. Aym. conf. 29.

59. INS. EVGENIVS IV. processit ex
certa scientia, quô casu excluditur omnis
 error, & ideo vocari non debet in du-
 bium.

Resp. Cum eodem BVRGHESIO apud
 TAMBVR. quod illa clausula solum pro-
 cedat in iis, quæ *in jure* consistunt, non
 autem in his, quæ *in facto*, præsertim in
 antiquo, cum tunc talis clausula non ope-
 retur. ut BALDVS in *L. fin. cod. sententiam*
rescindi non posse. ALEXAND. Conf. 135. in
fin. l. 2. tradit post alios, quos allegat. Dec.
in cap. ad hæc col. penult. n. 5. V. Præfata
conclusio. de rescript.

Accedit, quod his autoritatibus sum-
 morum Pontificum non obstantibus, ipse
 CARD. CICADA in suâ relatione in favo-
 rem *Canonicorum regularium* factâ, allegans
 ipsum EVGENIVM IV. tamen istam
 prædictorum *Canonicorum* antiquitatem
 vocet *dubiam*; BENEDICTINORVM autem

certè dixisset certam, si istam isti meliùs demonstrâssent. Unde istam sententiam non dicimus quidem injustam, sed nixam fundamento erroneo, à BENEDICTINIS tum temporis non satis enervato, si autem modò daretur restitutio in integrum, citra dubium triumpharent BENEDICTINI CASSINENSES, sed de hõc aliàs iterum.

60. OBJICIES 7. Ante sæculum undecimum fuerunt aliquot Ordinis *Canonicorum Regularium* s. AVGVSTINI Congregationes, quas recenset TAMBVR. ergo fuit & ordo *Canonicorum Regularium* s. AVGVSTINI.

Resp. A. TAMBVRINO tom. 2. disp. 24. q. 4. & BORDONO theat. preced. n. 246. recenseri tres ante sæculum undecimum Congregationes *Canonicorum Regularium* sc. *Lateranensem*, *Lucensem* seu *S. Frigidiani*, ortam anno 556. & B. JACOBI de *Spatha*, ortam anno 830. de *Lateranensi*, quid sentiendum sit, novimus ex dictis §. 4. similiter ibidem de *Lucensi* diximus, LEONEM IX. ao. 1049. in *Lucensi* Ecclesia Clericos ad Communem vitam reduxisse; Nec verum est, quod s. FRIGIDIANVS *Canonicus Lateranensis* à GELASIO I. *Lucanæ* Ci-
vita-

vitatis Episcopus consecratus, cum primùm *Lucam* pervenit, ibi in Monasterio SS. Levitarum STEPHANI, LAURENTII & VINCENTII, regulam S. AVGVSTINI cum suis Canonicis ita profecutus sit, ut non tantùm Reformatior, sed etiam Instaurator novæ Congregationis meruerit appellari, uti refert PENNOTVS apud TAMBVR. l. c. Nam I. S. GELASIVS I. defunctus anno 496; quomodo potuit S. FRIGIDIANVM circa annum 556. annis ferè 66. à morte suâ, *Lucæ* instituisse Episcopum, qui, cum primùm illuc pervenit, istam Congregationem instituit? 2. & quomodo S. FRIGIDIANVS adhuc sub GELASIO, vel eò vix defunctò, & in sententia Adversariorum immediatò S. AVGVSTINI Discipulò potuit esse & dici reformatior Ordinis vix exorti? 3. S. AVGVSTINI regulam nondum habuit isto tempore Ecclesia Lateranensis, nec S. FRIGIDIANVS, ut patet ex dictis §. 3. & 4.

Quamvis ergò S. FRIGIDIANVS fortè ad imitationem S. AVGVSTINI, EVSEBII *Vercellensis*, & ATHANASII, Clericos suæ Ecclesiæ in communitatem quandam collegerit, non tamen sub regula S. AV-

GVSTINI, nec iste vivendi modus fuit continuatus, sed postea à LEONE IX. uti loc. cit. dictum, institutus. Pariformiter loquendum de Congregatione B. JACOBI de Spatha, quæ dicitur incepisse anno Dni 830. à RAMIRO REGE Legionensi, primitus enim ab ALEXANDRO III. electo 1159. est approbata sub regula s. AVGVSTINI.

61. Hinc adverte: diversas ordinis s. BENEDICTI Congregationes ab- & ex ipsis Benedictinis esse institutas, per solam aggregationem & unionem Monasteriorum, ex motivo facillioris manutentionis, & conservationis regularis observantiæ in illis, absque additione ad spiritum & finem regulæ aut ordinis. è contra Congregationes *Canonicorum Regularium* non ab- nec ex ipsis *Canonicis Regularibus* s. AVGVSTINI, sed à diversis ita esse institutas, ut acceptæ, vel ab initio, vel postea s. AVGVSTINI regulâ omninò generali, specialem habeant vivendi formam, secundum cujuscunque Fundatoris arbitrium, uti colligitur ex TAMBV. l. c. ubi de singulis agitur: meritò ergo potius diversi ordines, quàm unius ordinis Congregationes dicendæ.

62. Non incongruè proinde *Canonicorum Regularium* s. AUGUSTINI ordinem putem comparari posse Oceano cuiusdam, ex diversis diversorum colorum, saporumque fluviis & rivulis, sic in unum congregatis, consistenti, ut difficile sit, determinare istius aquarum Congregationis originem. opinor tamen istius ordinis ortum & progressum hoc capite tam dilucidè, quamvis breviter esse demonstratum, ut dicere liceat verbis DANIELIS *Prophetae* c. 8. v. 8. *fractum est cornu magnum.* ruit argumentum *Canonicorum Regularium* contra BENEDICTINOS ex antiquitate desumptum. sed ecce *cornu unum modicum, & factum est grande.* v. 9. argumentum nempe clericatum oppugnans, quod quidem est modicum respectu alterius, faciliùs enim frangitur, sed est etiam grande, quia ab ordine s. BENEDICTI *auffert Juge sacrificium* v. 11. negat enim ordini s. BENEDICTI Clericatum & Sacerdotium. sed *usquequò sanctuarium hoc conculcabitur? & prosternetur veritas in terra? & fortitudo conculcabitur?* v. 12. & 13. *Lustremus & hoc cornu.*

CAPVT SECVNDVM.

De Clericatu Ordinis S.
Benedicti.

§. I.

Ostenditur, Ordini Benedictino per se competere clericatum.

DICO: ORDO SANCTISSIMI P. BENEDICTI non tantum est monasticus, sed etiam per se & essentialiter clericalis.

63. Probatur primò: Quod convenit alicui ordini vi suæ regulæ, hoc convenit ei per se, atqui Clericatus convenit ordini BENEDICTINO vi suæ regulæ, ergo convenit illi per se; Maj. patet: quia regula est ordinis anima. *probatur min. ex cap. 62. regulæ s. BENEDICTI, ubi præcipitur, ut, si quis Abbas sibi presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de suis eligat &c. ubi SANCTISSIMVS LEGISLATOR non reliquit arbitrio Abbatis, eligere sacerdotem vel extraneum vel Domesticum, sed expresse mandat, ut si, id est, quodocunque sibi presbyterum ordinari petierit, de suis eligat.*

Tri-

„Triplex enim Monachorum suorum
 „genus in eodem Monasterio s. BENEDI-
 „CTVS instituit: alii sunt CONVERSI,
 „ministeriis domesticis invigilantes, de
 „quibus *cap. 57. regulæ de artificibus Mo-*
 „*nasterii.* Alii sacris initiati, Divinis lau-
 „dibus & choro mancipati, pro quibus
 „præcipuè regulam s. BENEDICTVS
 „scripsisse noscitur. Alii perpetuò, seu ad
 „tempus *reclusi*, Monasterii probatione
 „diuturnâ muniti &c. *WION lig. vit. l. 1. c.*
 „*1. circa fin.*“ Ratio autem istius manda-
 ti de eligendo ex suis sacerdote, est secun-
 dum MABILLON *fol. 31.* quia presbyteri
 aliunde evocati paulatim Jus in Ecclesiis
 monasticis conantur sibi arrogare; Inter-
 dum sacerdotes conjugati, aut propriâ vo-
 luntate profugi, sacris semet ingerentes,
 fungi sacerdotio in Ecclesiis Monasterio-
 rum ambiebant, quod inter Monachos
 non levia scandala excitabat, reluctaban-
 turquè ab hujusmodi sacerdotibus sacris
 refici. Cujus fidem facit s. CYRILLVS
tom. 5. p. 2. fol. 29.

HÆFFTENVS *disq. mon. l. 3. disq. 1.* di-
 cit, “Convenientius est, ut Monachus apud
 „Monachos celebret, quàm alius quis-

„piam, ut GREG. l. 5. epist. 41. innuit, cau-
 „sam enim reddens, cur debeat presby-
 „ter ordinari, ait: quatenus nec ille (*Ab-*
 „*bas*) de Monasterio suo hâc de causâ
 „egredi, nec extraneum sibi, ad peragen-
 „dum sacrum opus cogatur adducere.“
 Adeoque, ut præveniret talibus inconve-
 nientiis s. BENEDICTVS, ordinem cleri-
 calem à purè Laicali diversum instituendo,
 præcepit, ut Abbas de suis sacerdotem eli-
 gat. Ex quo ordinis Benedictini clerica-
 tus per se

64. Probatur secundò: Quod est di-
 stinctivum alicujus, est etiam ejus consti-
 tutivum, ex recepto Philosophorum axio-
 mate; quia enim *rationalis* distinguit ho-
 minem ab omni alio animali, ideo & il-
 lum constituit; atqui CLERICATUS est
 distinctivus ORDINIS BENEDICTINI à
 quocunque alio ORDINE, sive communi-
 tate non clericali, quales purè Laicales seu
 non clericales erant Monachorum s. AN-
 TONII, PACHOMII &c. ergo CLERICA-
 TUS est ordinis Benedictini constitutivus;
 sed quod est alicujus constitutivum, hoc
 convenit ei per se, & essentialiter, ergo
 CLE-

CLERICATUS convenit ORDINI Bene-
dictino per se & essentialiter.

65. NEC DICAS: Ex mente COMMEN-
TATORIS: una hirundo non facit ver; ab
uno aliquo sacerdote in Monasterio quo-
vis existente non dicitur totus ORDO Cle-
ricalis.

Resp. Enim I. id *retorquendo* in ipsum
COMMENTATOREM, qui *fol. 44.* scribit,
quod s. AVGVSTINVS *Serm. 1. de comm.
vit. cler.* singulos suos Clericos recensens,
nonnisi unum, alterúmve Presbyterum
referat, *item fol. 60.* fatetur, olim in ipsis
collegiis Clericorum unum tantum vel
alterum ordinatum fuisse Presbyterum;
ergo & tale Collegium Clericorum non
erit clericale? Ratio autem, quòd olim
tam pauci in collegiis erant sacerdotes,
datur à MABILLON, quia tum temporis
communiter uno tantum sacrificio quo-
tidie litabatur, cui reliqui omnes intere-
rant, consequenter multi sacerdotes non
erant necessarii.

Resp. 2. *Negando suppositum*, quod ex
mente s. BENEDICTI unus tantum de-
beat esse sacerdos in quolibet Monasterio,
quia *cit. cap. 62.* titulum dedit non de Sa-
cerdo-

cerdote, sed de sacerdotibus Monasterii. at verò plures sacerdotes jam tempore s. BENEDICTI in uno Monasterio extitisse, inde colligitur, quòd s. BENEDICTVS SIMPLICIVM sacerdotem s. MAVRO in Galliam misso comitem adjunxerit, suum proprium monasterium sacerdote destitutum utiquè non relinquens. Nec obscure ex illis cap. 62. verbis: ut Abbas Presbyterum vel Diaconum ex suis eligat, colligitur, SANCTISSIMVM LEGISLATOREM voluisse, ut plures in uno Monasterio numerarentur Subdiaconi; cum enim Diaconatus supponat Subdiaconatum, hujus autem nullam fecerit mentionem, videtur tacitus innuisse plures Subdiaconos, è quibus aptiores ad Diaconatum eligerentur, debere præexistere. Quis neget autem Subdiaconos esse Clericos?

66. Probatum tertio: Argumento desumpto ex ipso COMMENTATORE fol. 51. sic loquente: Clericatus per accidens habetur ab eis, quorum Ordo ad vitam duntaxat contemplativam, & à curis animarum abstractam, sibi què soli vacantem, institutus est, ita ut tota ipsius essentia possit sine Clericatu consistere. Subl. Atqui Monachorum Benedictino-

ctinorum ORDO ad vitam duntaxat contemplativam, & à curis animarum abstractam, sibi què soli vacantem institutus non est &c. ergo clericatus à Benedictinis non habetur per accidens. *Minor subsumpta constat* I. ex eo, quòd VRBANVS II. affirmet, *Monachorum religionem & Canonico- rum Regularium unius penè ejusdemquè propositi.* Et INNOCENTIUS III. dicat: *Canonicos Regulares vi sui statùs à Monasticâ professione alienos non esse.* Et hoc quotidiana experientiâ probante. Monachi enim BENEDICTINI pariter & Canonici Regulares tribus se obligant votis, vivunt in communi, cantant in choro, celebrant Missas, docent publicè & privatim, catechizant, prædicant, sacramenta administrant &c. ergo &c.

67. Constat 2. Ex Apostolatu Benedictino, SANCTISSIMVS enim PATER ipse anno 529. migrans in *Cassinum*, ibi idola evertit, lucos succendit, prædicatione què continuâ indomitum populum ad Christi fidem vocavit, ultimus *Italiae* Apostolus ab ipso Deo specialiter missus verbis (quæ GORDIANVS ejus Discipulus refert) sequentibus: „ Ut quid BENEDICTE tristaris?
ris?

„ris? te namquè elegi ex omnibus inco-
 „lentibus orbem, Tu Evangelii mei tuba
 „cœlestis existes, spiritu meo repletus.
 „Surge jam & vade in castrum CASSINVM,
 „& populum, ejusdemquè Provinciam,
 „qui adhuc idolorum cultibus servit, ser-
 „mone vivifico prædicans, meum, ad cul-
 „tum convertere stude, quia ego tecum
 „ero, & non te deseram, & confundam
 „omnes adversarios tuos. proficiscere
 „idolorum ad pugnam, confortare, & esto
 robustus. GORD. *in vita* S. PLACIDI.

Unde & BARONIVS ad annum 529. sic
 scribit: „Hoc ipso anno MAGNVS ille BE-
 „NEDICTVS ex angustiis sublacensium
 „montium Divino monitu egressus, CAS-
 „SINVM petens, illic excitatô Monasteriô
 „Monasticum ordinem mirificè propaga-
 „vit. Ut autem ad CASSINVM mon-
 „tem Christi Athleta vocaretur, certamen,
 „quod adversus Dæmones mox ibi esset
 „initurus, causa fuisse videbatur. Nescio
 „enim, quâ incuriâ Episcoporum, quæ
 „longè latequè in christiano orbe extin-
 „cta idololatria, in monte illo altioribus
 „fixa radicibus adhuc vigeat, Ibi nam-
 „què fortis armatus, tanquam impietatis
 arce

„arce munitus, cultum à sibi subditis exigebat; sed cum fortior ipsò venit, penitus cedere cogitur. ita BARONIVS.

68. Nec S. BENEDICTVS solus prædicationis munere functus, suos Discipulos voluit quiescere, sed potius eos in diversas mundi plagas ablegavit, legem Christi Barbaris nationibus delaturos. Sic jam tum ex Monasterio *sublacensi* miserat S. FRIDOLINVM, Regio apud Scotos genere natum, qui (teste COCCIO) ad cultum Christianæ religionis inferendum, multas terrarum oras indefessus obivit, ita ut nomen *Viatoris* vulgò obtinuerit. Is superatis VOGESI Jugis circa annum Domini 527. *Alsatiã*, deinde *Argentoratum* subiens, incolas partim vanâ Deorum superstitione detentos, partim Arianâ hæresi infectos, sanam & veram fidem docuit &c. &c. Anno 532. misit S. BENEDICTVS in *Hispanias* THVRIBIVM cum pluribus aliis SS. Monachis, qui ad diversas postulati Cathedras, *Hispaniam* universam mirificè illustrârunt, & Apostolicis meritis se commendârunt, infidelibus & hæreticis ad gremium Ecclesiæ feliciter adductis. Quem morem Apostolicum BE-
NE-

NEDICTINI continuârunt incessanter, uti de sæculo in sæculum, imò ferè de anno in annum, ad nostra fermè tempora usquè demonstrat, recensitis nominatim Apostolis BENEDICTINIS, BASILIVS *Finkenensis* in suo Apostolatu BENEDICTINO per totum. Sicquè perget Deò propitiò Zelus BENEDICTINVS, nec non nisi cum fine mundi terminabitur; tunc enim *pro Ecclesia Romana stabit fidelissimè, & plurimos in fide confortabit.* uti inter coetera S. BENEDICTO per Angelum à Deo promissum fuisse, testatur historia *sublacensis*: PRUDENTIVS *Sandaval. lib. de fundat. Monast. in Castella part. 1. §. 6.* ARNOLDVS WION *l. 1. C. 1.* & ex eo STENGELIVS in corona *Lucida, & CORN. à LAP. in cap. 35. Jerem.*

69. Hoccinè est, vitam agere tantùm contemplativam, à curis animarum abstractam, sibi què soli vacantem? certè Apostolicum illud Benedictinorum munus toto aliquo diversorum Authorum agmine comprobare licet, sed brevitatis ergò unus altervè sufficienter doceat, quid nostra *Germania* Benedictinis debeat: CHRIST. BROWERVS S. J. in antiquitatibus

tibus *Fuldensibus* sic habet. “Et verò hu-
 „jus Ordinis, id est *Benedictinæ* familiæ,
 „quis nescit *Laudem* hanc esse propriam,
 „ut ambiat meritis & rectè factorum
 „gloriâ, quàm latè patet, orbem *Chri-*
 „stianum? etenim, ut palmas taceam &
 „adoreas, in reliquo OCCIDENTE partas,
 „certè innumeras abstulit ex hac *Germa-*
 „niâ nostrâ magnâ, cujus inferæ & supe-
 „ræ Regionibus tot retro sæculis hæc
 „unica ferè dedit scientiæ, veræquè pie-
 „tatis Doctores, Magistros. unica inquam
 „*Borea* populis citimis, extimis in magnâ
 „errorum nocte prætulit veri, honestiquè
 „facem, scilicet hâc virtutis arduâ viâ, &
 „non mortali doctrinarum curriculo
 „communem Mortalium mensuram
 „supergressa, pondera tot Cathedrarum
 „ingentia suorum humeris, velut *ATLAS*
 „cælum, sustulit, excelsoquè loco in *Re-*
 „publicâ *Christianâ* constituta non popu-
 „lis duntaxat, & urbibus; sed & Principi-
 „bus, terrarum Dominis benè beatequè
 „vivendi leges & præcepta dedit. Ita
 verbo-tenus *BROWERVS*. Cui & Hete-
 rodoxum quendam adjungo *HENRICVM*
 sc. *PETREVM* *J*Ctum, ut ut aliàs *Mona-*
 H cho-

cho-mastygem, veritati tamen hoc cè præbentem testimonium :

70. GREGORIUS MAGNUS ex S. BENEDICTINI ORDINIS Monacho factus Episcopus, sive Pontifex Romanus multos reliquit, tum commilitones, tum Discipulos Monachos, qui quàm plurimos infidelium ad Christianismum pertrahebant. Sic à Papa CONONE in Germaniam missus Monachus Benedictinus CHILIANVS Francos Orientales; sic præter eosdem hos, & Bavaros, & Thuringos, & Catos, & Saxones, & Phrisos denique S. BONIFACIUS; sic WILLEHADVS primus Bremensium Episcopus (pariter ut BONIFACIUS, Ordinis Benedictini Monachus Anglicanus) Phrisos, Coeterosquè Saxonie Borealis populos; sic Corvejâ excitus primus Bremensium Archiepiscopus ANSCHARIVS Holsatios, Nordalbingos, Danos, Suedos, coeterasquè Aquilonem versùs gentes, sic alii Benedictini, quorum plurimos in chronicis suis commemorat LANGIVS, vitæ sanctimoniâ & sapientiæ doctrinâ insignes, Germanicas vicinasquè nationes verâ JESV CHRISTI religione imbuebant; sic Im-

Imperatoribus olim plerisque eos fuisse
 Cancellarios & Consiliarios, qui Clavum
 tam reipublicæ Romanæ, quàm Ecclesiæ
 Christianæ rectè tenere, & sæcularibus
 Curiarum laboribus perfuncti, præfici
 possent administrationi rerum sacrarum.
 Quæ res, cùm ex publicis historiarum
 monumentis, tum inde liquet, quod Re-
 verendissimi Moguntinus, Coloniensis &
 Trevirensis, Archiepiscopi, & Principes
 Electores Cæsareæ Majestatis per Ger-
 maniam, Italiam, Galliam, etiamnum sunt,
 dicunturquè Cancellarii. Fasti sanè Ci-
 tizenses JOANNEM Papam ejus ordinis
 22 allegant, qui in Antecessorum suo-
 rum annalibus Benedictini Ordinis Pon-
 tifices repererit 24 (alii nunc numerant
 40) Cardinales 183. Archiepiscopos &
 Episcopos 1464. Abbates insignes quin-
 decies mille. Illis (inquit LANGIVS
 noster) CAROLI M. & OTTONVM
 temporibus sapientiæ studium vigebat
 in Coenobiis, & hæc causa erat, quòd ex
 Monachis eligerentur Episcopi. Impri-
 mis verò Fuldensis, Hirsfeldensis, Corve-
 jensis, Weisenburgensis, Prunensis, Tuilien-
 sis, Gemlacensis, Hirsauensis & Trevirensis

„in Germania Cœnobiorum gymnasia
 „(ne quid de Italia, Galliarumquè & Hispa-
 „niarum, cœterarumquè Provinciarum
 „christianarum Monasteriis nobilissimis,
 „præcipuè verò de *Cassinensi*, *Cluniacensi*,
 „*Floriacensi* hîc dicamus) virtutibus, & in
 „patriam beneficiis florebant &c. &c.
 Hæc & plura *Petreus*, qui & paulò ante
 Monasterium S. MICHAELIS *Hildesii* à S.
 BERNWARDO constructum, *pietatis*, *Lite-*
rarumquè & *humanitatis Domicilium*, *fruga-*
lis sanè hospitalitatis nomine etiamnum celebre,
 dixerat. Computenter ista Benedictino-
 rum elogia, & judicetur, an ORDINI com-
 petant ad vitam duntaxat contemplati-
 vam instituto?

§. II.

Alia probatio exponitur.

71. Probatur 4to: Ex *Can. 25. causâ*
16. q. 1. ubi BONIFACIVS IV. Papa ait:
 „Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, au-
 „dacissimè quidem, zelo magis amaritu-
 „dinis, quàm dilectionis inflammati, affe-
 „rentes, Monachos, quia mundo mortui
 „sunt, & Deo vivunt, sacerdotalis officii
 „potentiâ indignos; sed omninò labun-
 tur,

tur, neque enim s. BENEDICTVS, Monachorum præceptor almificus hujus rei fuit aliquo modo interdictor." Addit D. THOM. 2. 2. q. 187. a. 1. in C. improbat (BONIFACIUS) prædictum errorem ex idoneitate Monachorum; cum in fine cap. subdit. quanto quisque est excellentior, tanto & in illis, sc. Spiritualibus operibus potentior. Et CLEMENS V. statuit in Conc. Vienn. quod Monachi (BENEDICTINOS intelligit) quilibet ad monitionem sui Abbatis se faciant ad omnes ordines promoveri. CLEMENT. ne in agro §. ad ampliationem, de statu Monachorum, ex quibus sic argumentor.

Quod ex SS. Canonibus habetur, convenire ORDINI S. BENEDICTI, hoc certum est, de jure ei convenire, atqui ex cit. Canonibus habetur, Clericatum convenire ordini s. BENEDICTI, ergo clericatum ei convenire, *de jure* certum est.

Minor probatur: quia secundum illos Canones, Benedictini sunt digni sacerdotio, & debent ad nutum Abbatis ad ordines promoveri, quia s. BENEDICTVS id vult, uti etiam patet ex dictis n. 63. ergo ex istis Canonibus habetur, Clericatum convenire ordini Benedictino, ergo fal-

sum est, quod COMMENTATOR fol. 51. scribit: *Certum est, Monachos non posse de jure Clericatu insigniri.*

72. DICES. Cum COMMENTATORE fol. 54. & alibi sæpè, clericatum Monachis convenire tantùm dispensativè.

Sed contra: Cui convenit aliquid dispensativè, illud habet & supponit legem prohibentem, sed ORDO BENEDICTINVS non habet, nec supponit legem prohibentem Clericatum, uti patet *ex cit. Can.* & ipsâ regulâ, quæ usque adeò imperat Abbati, ut de suis eligat presbyterum vel Diaconum, *maj. constat*, quia dispensatio est relaxatio legis.

CONFIRMATUR: Quod alicui convenit dispensativè, illud supponit materiam dispensandi, & vinculum à superiore potestate relaxandum, atqui Monachis Benedictinis incapacitas clericatûs (quæ deberet esse materia dispensationis) non convenit vi suæ regulæ, utpote Clericatum non tantùm non interdicentis, sed etiam præcipientis. Nec MONACHI BENEDICTINI ullo vinculo aut voto se obstrinxerunt ad clericatum non suscipiendum, à quo per superiorem potestatem essent

essent absolvendi, ergo MONACHIS BENEDICTINIS non convenit materia dispensandi in Clericatu, ergo Clericatus ipsis non convenit dispensativè; imò defectu materiæ, & obligationis contrariæ dispensatio convenire non potest.

Accedit, quod Benedictinis Candidatis aliquot diebus, vel saltem vesperâ, antequam vestiuntur habitu Monastico, detur unâ cum tonsura habitus Clericalis, sc. tunica thalaris cum superpelliceo & baretta, ut ait VIRG. *mur. verm. sec. 3. c. 21.* sicquè gaudeant utroque Privilegio, & fori & Canonis.

73. Unde sequitur, quod, si esset Monasterium, regulam s. BENEDICTI cœterum observans, in hoc tantum deficiens, quod nullum ex Benedictinis habeat Clericum & sacerdotem, non esset genuinè Benedictinum.

Falsò ergò dicit COMMENTATOR *fol. 142.* Monasteria Benedictinorum secundum fundatoris mentem juxta vetus s. BENEDICTI institutum, merè Laicorum esse. Benè econtra HÆFFTENSIS *disq. Monast. l. 3. tract. 7. disq. 1.* allegat FRANC. BIVARIUM in apologetico pro LUCIO

Dextro, ubi reprehendit GABRIELEM PENNOTVM l. 2. *histor. cler. Canon. c. 18. n. 4. & 7.* asserentem, Divum BENEDICTVM suis, non ut Clericis, sed ut Laicis regulam vitæ præscripsisse, in quâ de clericis Monachis ne verbum quidem habeatur. cum capita 60 & 62 evidenter monstrent contrarium, & regula s. BENEDICTI magis, quàm s. AVGVSTINI dici possit clericalis, hâc nullam, illâ crebriorem sacerdotis faciente mentionem.

74. Et sic congregatio Fratrum voluntariè pauperum, merè Laicorum, quæ teste BVSCHIO de *reform. mon. c. 26. anno 1470. in Hildesem* primò surrexit, verè fuit Ordinis s. AVGVSTINI, secundùm cuius regulam vivere promiserant, & idcirco me (inquit BVSCHIVS) in *Sulta Patrem* de mandato Domini *Hildesemensis*, in visitatorem & confessorem suum delegerunt. Sic & contra regulam s. AVGVSTINI non peccavit congregatio, seu Capitulum *Windesemense*, suis prohibens curam animarum, ac recusans, ad sui unionem recipere Monasterium *Novi Operis Hallis*, cum aliis sibi Capitulariter unitis, ex hac ratione: „ quia *Præpositi* præfatorum Monasteriorum

rum magnæ sunt dignitatis, multas habentes Ecclesias parochiales, sibi & Monasterio suo incorporatas, quas per patres suos regere oporteret. Insuper & Archidiaconatum latissimum 2000. penè animarum, hominum sæcularium habet Monasterium Novi Operis; & Monasterium ad s. MAVRITIVM ipsum est in se Ecclesia parochialis satis populosa. Ista omnia primæ institutioni nostræ reformationis fuerunt semper, & hodie sunt contraria, & Capitulum nostrum usque in præsens talia ad unionem suam recusavit assumere Monasteria. Et sic Monasterium Novi Operis, cum aliis sibi unitis, constituebat Capitulum speciale, retentis eis, quæ *Windesemensibus* non competebant: sc. ut hujus Capituli *Prælati* retinerent nomen *Præpositi* (cum *Windesemenses* debeant vocari *Priores*) & tam ipsi, quàm Fratres uti possint biretis, & publicè prædicare propter Ecclesias sibi incorporatas. ita *BVSCHIVS de reform. mon. c. 20. in Manuscripto Kiloniensi.* Ac proinde *Canonici Regulares Windesemenses* non nisi dispensativè administrant Parochias, & utuntur biretis, clericis tamen

convenientibus; potiùs ergo clerici per accidens, quàm Benedictini.

75. Mirum sanè, *Canonicos regulares regulam s. BENEDICTI, ut Laicis tantùm scriptam deprædicare, cùm idem BVSCHIVS l. I. de reform. mon. cap. 45. dicat: ea quæ nos (Canonici regulares) habemus in statutis, omnia penè in regula continentur s. BENEDICTI (saltem in Ord. relig. vivendi edito SS. P. BENED.)* *Et regula s. AVGVSTINI nihil penè continet, nisi charitatem duntaxat, Et tria substantialia, paupertatem, castitatem Et obedientiam, quæ modis miris in eâ (regulâ s. BENEDICTI) declarantur.* Minùs ergo honorificum esset, Clericis essentialiter talibus, statuta sua, ac regulæ suæ illustrationem, vitæquè normam ex regula, essentialiter Laicali emendicare. Ecce Domini *Canonici Regulares*, sequendo ductum vestri *COMMENTATORIS*, quò prolabimini? sed

76. DICET ALIQUIS: regulam non esse de essentia statûs religiosi, cùm Mandatorum Dei, & Votorum substantialium observantia sufficienter hominem ducere possit ad perfectionem religiosam absque regulâ.

Resp.

Resp. Ndo Antecedens: Ordo enim cu-
 jusque religionis in specie desumitur à re-
 gula, ordinis animâ, & particularibus con-
 stitutionibus, unum ordinem ab alio di-
 stinguentibus, & ideo constituentibus.
 Ita AZORIVS *instit. moral. tom. 1. l. 11. c. 24.*
 ubi quærit 4. unde sit Religiosorum di-
 versitas? "Respondet D. TH. 2. 2. q. 188. a.
 „1. ad 2. Religionum diversa esse institu-
 „ta, aut ex regula, aut ex constitutioni-
 „bus regulæ adjunctis, aliæ enim S. BASI-
 „LII, aliæ S. BENEDICTI, aut S. AVGV-
 „STINI, aut S. FRANCISCI regulam ser-
 „vant. aliæ rursus, licet unam eandem-
 „quæ vitæ regulam teneant, variis tamen
 „constitutionibus discernuntur; *Domini-*
 „*cani, Canonici Regulares, Eremitæ Augusti-*
 „*niani, Præmonstratenses* sub unâ S. AVGV-
 „STINI regula militant, at diversis omni-
 „nò constitutionibus gubernantur. ha-
 ctenùs AZOR. LESSIVS C. 41. D. 1. n. 9.
 Sic loquitur. "Quamvis non numerentur
 „à DD. nisi quatuor regulæ approbatæ,
 „sub quibus omnes religiosi militant, vi-
 „delicet BASILII, BENEDICTI, AVGV-
 „STINI, & FRANCISCI, tamen singuli
 „suæ regulæ proprias constitutiones ad-
 jun-

„junxerunt, quibus inter se discrepent,
 „etiamsi eandem regulam sequantur. huc-
 „usque LESSIVS.

Specialiter de regula s. AVGVSTINI
 BVSCHIVS *Chron. Windesemensis l. 1. c. 22.*
fol. 92. hæc scribit: “Cum plurimi Reli-
 „giosi ordinum diversorum solemnem fa-
 „ciant professionem secundum regulam
 „s. AVGVSTINI; sola tamen diversitas
 „statutorum differentiam facit ordinum
 „singulorum statum, *habitum*, mores, ritus,
 „& Cæremonias hujusmodi Ordinum sin-
 „gulorum specialiter exprimentium; deni-
 „que nulla religio, nullaquè cujuscunque
 „ordinis & Conventûs persona regulam
 „s. AVGVSTINI ad plenum poterit ob-
 „servare sine certis constitutionibus.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

77. OBJICIES I. Laicus non instituit
 ordinem clericalem; s. BENEDICTVS
 fuit Laicus, uti dicit COMMENTATOR
fol. 50. n. 149. fol. 51. & 140. ergo Ordo s.
 BENEDICTI non est Clericalis. Resp. I.
Retorquendo: Laicus non instituit Ordi-
 nem Clericalem, sed RAMIRVS Rex fuit
 Lai-

Laicus, ergo Ordo sive Congregatio Canoniorum Regularium B. JACOBI de SPATHA (de quo supra C. 1. §. 6. n. 60.) non est Clericalis. Resp. 2. transmissâ maj. *Nego min.* Quamvis enim s. BENEDICTVS (quod tamen defendunt YEPES, MILLETIVS, LAVRETIVS, & novissimè clarissimus D. P. COELESTINVS PLEY in *Theorematis. fol. 404.*) sacerdos non fuerit, uti ex antiquis Monasterii Cassinensis monumentis indubitatè (ait COMMENTATOR *fol. 141.*) demonstravit ANGELVS de nuce, *Abbas Cassinensis in notis ad vitam s. BENEDICTI C. 23. à n. 267.* tamen idem ANGELVS de nuce *l. cit. cap. 24. à n. 248.* de sacerdotio s. BENEDICTI pro & contra disputat, eumquè evidentibus testimoniis *fol. 45. n. 252.* Diaconum pronunciat. Quod & aliunde satis probari posset, si nostri instituti id exigeret ratio.

78. OBJICIES 2. s. THOMAS 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. ait: *Canonicis Regularibus per se competit, ut sint Clerici Religiosi, sed ad Religionem Monachorum non per se competit, ut sint Clerici.*

Resp. Manifestè patet ex verbis, hunc textum & antecedentibus & subsequentibus

bus, s. THOMAM loqui de Monachis merè Laicis, non verò de Ordine Monachorum Clericali, seu *servienti Divinis Mysteriis*, huic enim non minùs, quàm *Canonicis Regularibus* clericatus competit per se. Utì ibidem docet idem D. TH. his verbis:
 „ Sed si Monachi sint clerici, sacris Myste-
 „ riis obsequentes, habent id, quod est *Ca-*
 „ *nonicorum Regularium* cum majori arcti-
 „ tudine. Et ideo licitum erit transire de
 „ ordine *Canonicorum Regularium* ad ordi-
 „ nem Monachorum, cum econtra, si Mo-
 „ nachi essent Laici, liceret transire ab or-
 „ dine Monachorum ad ordinem *Canoni-*
 „ *corum Regularium*. ibidem.

Ex loco cit. roboratur nostra sententia hoc modo: Si Monachi sint Clerici, sacris Mysteriis obsequentes, habent id, quod est *Canonicorum Regularium*, ergo, quia *Canonici* ob istam rationem, quia sacris mysteriis obsequuntur, per se sunt Clerici. Et Monachi BENEDICTINI sacris mysteriis serviunt vi regulæ, etiam ipsi per se sunt Clerici.

79. DICES Cum COMMENTATORE fol. 60. BELLIZARIUM *lr. 3. c. 5. n. 128.* docere: olim potuisse Monachos transire ad

ad *Canonicos Regulares*, quando nondum erant Clerici, hodie verò ob Clericatum ipsis *dispensativè* concessum, non posse. Resp. Fallere COMMENTATOREM, sic enim habet BELLIZARIUS: “Monachi
”verò, quamvis olim possent transire ad
”*Canonicos Regulares*, ob majorem istorum
”professionem, & finem altiorem, quàm
”isti habebant; modò tamen non possunt,
”cum iis exæquentur in perfectione, ut
”pote tractantes eadem mysteria, & in-
”super eos superent in arctitudine regu-
”læ. Unde fit, ut in præsentia de *Canoni-
”co Regulari* transeunte ad Monachos non
”possit dici, quod descendat à magis per-
”fecto ad minùs perfectum (quomodo
”in cap. *Mandamus, Canonicis Regularibus*
”prohibitus fuit transitus ad Monachos)
”quin potius ascendit, transiens de mi-
”nùs perfecto ad magis perfectum, sicut
”ècontra, si Monachus hodie transeat ad
”*Canonicos Regulares*, dicitur descendere,
”non ascendere, ideoquè talis transitus
”ipsi modò est prohibitus.” Ita verè
BELLIZARIUS, ubi nihil de dispensati-
va concessione Clericatus. Advertitur
tamen ex his, *Canonicum Regularem* non
præ-

præstare BENEDICTINIS, quantum homo cœteris animantibus.

80. INS. Ex COMMENTATORE fol. 22. 55. &c. Monachus ex essentia sua est Laicus, BENEDICTINI sunt Monachi, ergo BENEDICTINI ex essentiâ suâ sunt Laici. *Maj. probatur*: quia prædicatum Monachi est merè Laicale. Resp. I. ad ista patere responsionem ex dictis. nihilominus Resp. 2. velly *Monachus*, in majori sumitur universaliter & latè, vel specificè? si universaliter & latè; sic ex principio, *dici de omni*: argumentor contra COMMENTATOREM: omnis Monachus (etiam latè dictus) est ex essentia sua Laicus, omnis *Canonicus Regularis* est Monachus latè dictus) ergo omnis *Canonicus Regularis* ex essentia sua est Laicus. *min.* constat ex ipso COMMENTATORE, qui fol. 55. & 57. concedit, sub nomine (Monachi) latè accepto semper comprehendi *Canonicos Regulares*, cùm æquè, ac Monachi communem ducant vitam, communi utantur domo, victu ac vestitu, fugiantquè sæcularia consortia, solennibus etiam votis sint obstricti &c.

Si autem Dicas vly *Monachus*, sumi *specificè*,

ficè, graviter impingis contra Dialecticam, est enim istud argumentum idem cum hoc: aliqua species Monachorum est ex essentiâ suâ Laicalis, BENEDICTIVS ORDO est aliqua species Monachorum, ergo ORDO BENEDICTIVS est ex essentiâ suâ Laicalis. Sicquè N. conseq. quæ infertur ex merè particularibus. Sicut in hoc syllogismo: aliqua species animalis est ex essentiâ suâ irrationalis, homo est aliqua species animalis, ergo homo est ex essentiâ suâ irrationalis. Scito adversarie, quòd Monachus alius sit vi instituti sui Laicus, sicut fortè ANTONIANVS, PACHOMIANVS &c. alius Clericus, qualis est BENEDICTIVS.

SI. CARDINALIS de TURRE CREMATA in *quæst. spirit. Convivii in festo s. BENEDICTI*, quærens: utrùm B. BENEDICTVS lucernam accendens regulæ Monachalis, & ponens eam super Candelabrum Ecclesiæ, convenientiùs instituit Monachos in societate viventes, quàm solitariam vitam agentes? & responderet & defendit, s. BENEDICTVM convenientiùs instituisse religionem *ordinatam ad opera vitæ activæ*, quamvis & ista solitarios saltem ad tempus patiatur.

Audi & FRANCISCVM BOVRGOING ordinis Oratorii superiorem generalem in suis Homiliis super Martyrologium Romanum ad diem 21. Martii, de ordine S. BENEDICTI sic loquentem: *a fin que chacun suiue l'instinct & l'esprit de sa vocation* &c. &c. totum in compendio latinè sic habe: ut quisque sequi possit instinctum & spiritum suæ vocationis, quatuor dantur in Ecclesia status vitæ spiritualis. Primus est *Eremitarum*, seu *solitariorum*, secundus est *Cœnobitarum*, seu *collegiarum viventium*, tertius est *vitæ humilis & pauperis*, qualis est *mendicantium*, quorum est prædicare poenitentiam; quartus est *Pastorum & Clericorum*, quorum est regere Dei Ecclesiam. Omnis hic status competit ORDINI BENEDICTINO. Specialiter autem quartus, cum ordo iste tempore tam longo per 40 summos Pontifices rexerit Ecclesiam universalem, & adhuc tot curet Ecclesias &c. &c. Sic verè S. BENEDICTI ORDO omnibus omnia factus, secundum quemque cujusque vocationis modum sufficientia subministrat media, sustinens & *Eremitas & Cœnobitas & Prædicatores & Pastores.*

§. IV.

§. IV.

Alia objectio diluitur.

82. OBJICIES tertio: Cum COMMENTATORE *fol. 56.* Monachus propriè & strictè definitur; qui tribus Regularium votis obstrictus, in sancto secessu propriæ salutis incumbit, ac curis omnibus tam sæcularibus, quàm clericalibus exutus, uni Deo per amorem, & contemplationem adhæret; unde, quia BENEDICTIVS est Monachus, infertur, BENEDICTIVM non esse per se Clericum. Resp. COMMENTATOREM fallere contra leges bonæ definitionis. *Probat.* Definitio debet convenire omni & soli definito, atqui ista Monachi definitio, non convenit omni & soli definito, ergo. *Probat. min.* imprimis non convenit omni definito; non enim convenit ÆGYPTI & THEBAIDOS *Eremitis*, verè Monachis, tribus Regularium votis non obstrictis. Quod etiam non conveniat BENEDICTIVIS, curis Clericalibus non exutus, jam ex dictis constat. Deinde ista definitio non convenit solide definito; nam convenit etiam *Canonico Regulari converso*, & cuilibet professo, nondum

dum tonsurâ Clericali initiato; est enim tribus Regularium votis obstrictus, propriæ salutis incumbens, ac curis omnibus, etiam clericalibus exutus &c. ergo & est Monachus strictè dictus, quod tamen non concesserit COMMENTATOR. sed.

83. Dicit fol. 47. tales professos esse *Canonicos Regulares*, non quidem actu, sed inchoativè, & quoad dispositionem proximam ad amplectendum clericatum.

Ex ista responsione sic infero: ergo tales ordinem *Canonicorum Regularium* professi, tonsurâ Clericali nondum initiati, sunt actu & completè *Canonici*, vi sui ordinis & instituti, sed tantùm vi tonsuræ clericalis & ordinis Sacramentalis; ergo non magis *Canonici*, quàm *BENEDICTINI*, & alii quicumquè similiter tonsurâ clericali & ordine Sacramentali insigniti. Nunquid nos aliter, quàm *Canonici consecramur?* quis inspiens audeat dicere? ait *PETRVS DAMIANI, BENEDICTINVS CARD.* eisdem insignibus (inquit *B. RVPERTVS TVITIENSIS in Reg. S. BENEDICTI l. 4. c. 8. tom. 2. fol. 968. col. 2. contra Clericum, Monachismum oppugnantem*) „Eisdem insignibus ordinator *Episcopus* me atque te vesti-

vestivit: an putas, quod Monachatus & Clericatus opposita sint, & in eodem esse non possint? imò tuus animus Monacho stat oppositus, & idcirco illa sic aspicias tanquam opposita. At illa socialia sunt, & amica, alterumquè ornatur alterò, ut ait B. HIERON. & fol. 971. sic pergit contra eundem: tu, qui clericorum propugnator, Monachorum vehemens expugnator es, qui gloriaris in clericatu - - - scisne hoc ipsum, cur dicaris clericus? - - - mihi autem, qui cum splendore Monachici ordinis, honore quoque sacerdotalis & Levitici fungor ordinis, nullatenus æqualem te videri patiar - - - nam tu Clericus tantum, ego & Monachus & Clericus. Ita RVPERTVS, antequam Abbas.

84. Dicit iterum COMMENTATOR fol. 55. quod conversi *Canoniarum Regularium* sint quidem *de ordine*, seu ordinis *Canoniarum Regularium*, non autem *Canonici Regulares*. *Probatur*: Conversi Laici Clericorum Regularium non possunt denominari clerici Regulares, sed ordinis, seu de ordine Clericorum Regularium; ergo pariter Conversi Laici *Canoniarum Regularium* non

possunt denominari *Canonici Regulares*, sed ordinis, seu de ordine *Canonicorum Regularium*.

Resp. *Ad probat. N. conseq.* quod enim conversi Laici in ordine clericorum Regularium non possint denominari clerici regulares, est ideo, quia Tò Clericus logicè non abstrahit à clerico & non clerico, velut nec animal ab animali & non animali, ècontra Monachus & *Canonicus Regularis* logicè abstrahunt à subjecto clericali & non clericali, possuntquè habere sub se differentias oppositas, nimirum Tò clericale, & Tò Laicale, prout animal, rationale & irrationale. Hæcquè disparitas paritatem COMMENTATORIS invalidat.

85. INS. Cum EODEM l. c. conversi Laici ordinis Prædicatorum non possunt prædicatores denominari, sed tantum de ordine seu ordinis prædicatorum, ergo & conversi Laici *Canonicorum Regularium*. Resp. *N. conseq.* conversi enim Laici ordinis prædicatorum non possunt dici Prædicatores, quia prædicator non abstrahit à Clerico & non Clerico, ècontra conversi Laici *Canonicorum Regularium* possunt denominari *Canonici Regulares*, quia *Canonicus*

CUS

cus Regularis abstrahit à Clerico & non Clerico; sicut, quia Dominicanus abstrahit à clerico & non clerico, conversi Laici Dominicanorum possunt denominari Dominici.

86. Quod autem verè *ly Canonicus Regularis* abstrahat à subjecto Clericali & non clericali, patet ex discrimine inter *Canonicum Sæcularem & Regularem*. Canonicus enim Sæcularis, ut gaudeat sede Canonicâ & annuâ pensione ratione Beneficii, ex justitiâ ipsi debitâ (unde nomen Canonici respectu Sæcularium derivari potest) debet necessariô esse clericus, cum sine clericali tonsurâ nequidem capax sit talis Beneficii juxta cap. *ex literis 6. de transact. cap. in Ecclesia 2. de instit. cap. fin. de rescriptis in 6.* Canonicus autem Regularis non dicitur Canonicus à Canonicâ & annuâ pensione ex justitiâ ei debitâ, hæc enim derivatio repugnat voto paupertatis; nec potest dici Canonicus à Loco, seu sede Canonicâ, quia hæc, utpote regularis & religiosa (sicut & sedes Monachi Benedictini) non est beneficalis seu beneficium, ac in ordine beneficiorum, propriè loquendo, non numeratur; possideri enim potest tam à Lai-

co quàm Clerico, modò votis obstrictus, observet principale institutum Canonico-
 rum communiter viventium, quod (se-
 cundùm MANSFELD. de Clericorum Cœ-
 nobitica fol. 102.) consistit in communi vitâ &
 regulis communibus. “ Duplex est officium
 „ Canonico-regularium (ait STEPHA-
 „ NVS TORNACENSIS epist. 71.) sunt
 „ enim ad vitæ Communis exercitia, &
 „ Divinum officium in Ecclesiâ decan-
 „ tandum obstricti; deinde sunt Regu-
 „ lares, id est votis Religiosis certæ regu-
 „ læ, quam dicunt à S. AVGVSTINO tra-
 „ ditam, mancipati. BARBOSA de Cano-
 „ nicis cap. 1. fol. 4. n. 6. explicans Canonici Re-
 „ gularis Etymon, inquit: “ Canonici Regula-
 „ res appellantur, quasi duplici obligatione
 „ vitæ Canonicali adstricti, id est vivendi
 „ simul ex communi Ecclesiæ patrimonio,
 „ & non habendi patrimonia separata.
 Atqui juxta WILIBALDVM MAIR Cano-
 nicum Regul. Iconis 10. fol. 132. & alios, Ca-
 nonici Regulares duas participant qualitates,
 nempe Canonici & Regularis; appellantur
 Canonici à Canonibus Apostolorum, qui
 in Communi vitâ vixerunt, & Regulares,
 quia triplici voto se adstrinxerunt. Imò
 ipse

ipse COMMENTATOR in D. Picinelli Discursuum in reg. S. AVGVSTINI latinè redditorum dedicatione DD. Canonicis Regularibus Berchtolsgadensibus factâ dicit: ea (S. AVGVSTINI regula) Canon est, à quo dicimur Canonici. Sed eadem regula, aliæquè memoratæ qualitates, & circumstantiæ conveniunt conversis & aliis Fratribus Ordinis Canonorum Regularium; tonsurâ primâ nondum initiatis, ergo etiam sunt veri Canonici Regulares, ergo Canonicus Regularis non est essentialiter Clericus, ergo ly Canonicus Regularis abstrahit à subjecto Clericali & Laicali, sicut & ly Monachus.

87. Agnoscat ergo tandem COMMENTATOR, Monachos omnes non dici tales, quia in Sancto secessu propriæ tantùm salutis incumbunt, sed à monade seu solitudine, *μονός* enim dicitur unus (verba sunt S. AVGVST. in Psal. 132. Ecce quàm bonum) & non unus quomodocunquè, nam & in turba est unus, sed unâ cum multis unus --- qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verè, quomodo scriptum est, una anima & unum cor, multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur *μονός*, id est unus solus. Quæ Monachi definitio non exclu-

dit curas clericales, & convenit etiam *Canonico Regulari*, sicquè talis, velit, nolit, ex s. AVGVSTINI sententia & definitione est *Monachus*. Unde & LANDMETER *Canon. Regul. Ord. Præmonstratensis de Clerici Monachi veteri instituto l. 1. p. 3. c. 3.* in fine dicit: *ob hanc Communis vitæ professionem Clericos seu Canonicos Regulares etiam dicendos Monachos*. Sic BEYERLIN. V. Religiosus, ait: *ad hos Monachos referuntur Canonici regulares*. Sic BARBOSA *Episcopus Ugentinus tract. de Canon. & dignit. c. 1. n. 5.* Canonicos inter se distinguendo, absolutè dicit: *quidam sunt Canonici Regulares seu Monachales, Monasticam vitam degentes*. Sic author librorum de imitatione Christi (quem adversarii THOMAM KEMPENSEM esse contendunt) se ipsum *Monachum* vocat. quod cum objiceretur aliquando alicui è *Canonicis Regularibus*, hocce dabatur responsum: THOMAM KEMPENSEM id fecisse ex humilitate; benè; ex qua ergo virtute DD. *Canonici Regulares* moderni nolunt appellari *Monachi*? an virtutes sunt invicem contrariæ?

88. Næ! s. AVGVSTINVM Monachum fuisse, jam supra vidimus, & probant GONZALETZ in epitom. hist. vitæ s. AVGVSTINI, & LVDOVICVS de ANGELIS de vita & Laudibus s. AVGVSTINI duodecim argumentis, quorum ultimum est ipsum s. MONICÆ testimonium: apud KHAMM. p. 3. n. 34 idem docet SVARETZ. tom. 4. de virtute & statu relig. L. 2. c. 8. n. 10. & seq. Et testatur ipse s. AVGVST. in Psal. 132. Sic loquens: quare nos non appellemus Monachos, cum dicit Psalmus: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum? ἑνός enim dicitur unus & c. uti mox supra. & ibidem contra circumcelliones sic dicit: Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum insultant? & iterum ibidem: meritò insultant nomini Unitatis, qui se ab unitate præciderunt; meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. ubi notat BARONIUS ad annum Christi 340. probè jam vides Lector, à quorum partibus stent, qui nostro hoc infelicissimo seculo Monachorum nomen adedò execrantur, & quorumnam profiteantur se esse Discipulos. ita ille

89. Nec DICI potest, *Canonicos Regulares* latè dici posse Monachos, nam sunt Monachi æquè latè, æquè strictè, ac Benedictini, ergo & sic possunt denominari. Unde & communi nomine utrorumque & BENEDICTINORVM & Canoniorum Domicilia, vocantur Monasteria, de BENEDICTINORVM dubium non est; de *Canoniorum Regularium* autem patet ex propriâ ipsorum regulâ, ubi ferè octo in locis ipsorum Domus Monasterium dicitur: Sic & in Bullis summorum Pontificum apud HUNDIVM tom. 2. habitationes omnes *Canoniorum Regularium* appellantur *Conventus*. Sic SIMON WERLIVS *Canonicus Regularis Ord. s. AVGVSTINI* author annot. in regulam (quam vocat) *Monasticam s. AVGVSTINI*, in facie sui operis scribitur Præpositus Monasterio S. MARIÆ in DIESSEN. Sic BVSCHIVS quondam Præpositus in SVLTA, in libris suis *de reform. Monast.* sicut in titulo, Ordinis sui claustra vocat Monasteria, uti in specie SVLTENSE propè HILDESIVM, MONTIS GEORGII propè GOSLARIAM, *Richenbergensè* ibidem Dalem, *Hamersleben*. Sic STENGELIVS & communiter alii de
Do-

Domiciliis *Canonicorum Regularium* scriptores, unà cum antiquissimâ consuetudine hucusquè constanter perseverante, absolutè utuntur nomine Monasterii, paucis neotericis exceptis, qui nomen Monasterii erubescens, sua Domicilia Canonias vel collegia vocitant.

90. Negare tamen hic nolim, *Canonicorum Regularium* domicilia, certis suppositis conditionibus, dici posse collegia, sed aliter eis, ac *BENEDICTINORVM* hoc nomen Collegii non convenire contendo cum *FELINO* in *cap. accedentes, de præscr. n. 2.* *CARD. ZABARELLA* super *Clement. 2. ut hi n. 9. & seq. PANORM. c. nobis. de jure Patronatûs n. 8.* asserentibus, omnes Ecclesias Cathedrales & Regulares de jure communi esse collegiatas, & secundum eundem *PANORM. l. cit.* quamlibet Ecclesiam collegiatam dici posse Conventualem, licet de Consuetudine hoc verbum referatur ad Ecclesias Religiosorum, sed de jure & vocabuli ethymologiâ hoc verbum proportionabile est omnibus collegiatis. Nam dicitur Conventualis à conveniendo, quia ibi conveniunt, sic collegiata à colligendo, quia ibi colliguntur.

DI-

DIXI: *Certis suppositis Conditionibus:* nam ad Ecclesiam Regularem collegiatam requiritur electio Prælati, commune sigillum, communis arca, commune refectorium & Dormitorium. ex CARD. & PANORM. II. cc. hinc simplices Ecclesiæ, seu prioratus simplices, de quibus CARD. l. c. & Clement. ne in agro: §. cæterum, de Statu Monachi: non censentur Ecclesiæ collegiatæ. FELIN. l. c.

91. DICES; SS. Canones expressè distinguunt *Canonicos Regulares* à Monachis. Item sæpiùs in jure nomine *Canonicus* venit *Canonicus Regularis*, non autem *Monachus*, deniquè secundùm Juris rigorem *Monachi* appellatione non venit *Canonicus Regularis* in pœnalibus & exorbitantibus, nisi in materiâ, in quâ est eadem ratio de *Canonico Regulari* & *Monacho*; quare hoc, si *Canonici* sint & nominentur *Monachi*?

Resp. Hoc provenire exinde, quia sæculo undecimo *Canonici*, *Canonicorum* reformatores disciplinam suam è *Monachorum fontibus haurientes*, (ut dicit apud THOMASS. p. 3. l. 3. c. II. n. II. Conc. COLONIENSIS E habitum anno 1536.) sequè, suosquè tribus

bus votis Monasticis obstringentes, & sic Clerico-Monachi (ut scribit MABILLON. in replica fol. 42.) effecti, non ad omnes aliorum Monachorum observantias se astringebant, sed consuetudines quasdam ex instituto Canoniorum retinebant, v. g. lino uti, carnibus vesci &c. & ideo, postquam in cap. *quod Dei timorem* 5. de statu Monachorum dixerat INNOCENTIVS III. etsi (*Canonici Regulares*) à S. Monachorum proposito non videantur sejuncti; subdit: *regulae tamen inserviunt laxiori*, ne ergo censeantur ad strictiores aliorum Monachorum constitutiones obligati, non veniunt in cunctis pœnalibus nomine Monachi, sicut in materia, in quâ est eadem utrorumquè ratio.

92. Reflectenti ad intentum adversariorum, contendentium negare vitam activam & Clericatum BENEDICTINIS, occurrit illud, quod s. AGATHA virgo QUINTIANO exprobravit dicens: *Crudelis Tyranne, non te pudet amputare in fœmina, quod ipse in Matre suxisti?* nunquid par est impietas, Germanos amputare, & negare ORDINI BENEDICTINO vitam activam, per quam tamen primitus Christo nati, coele-

coelestis Doctrinae Lacte sunt nutriti? certè enim BENEDICTINIS GERMANI debent admirabile illud lumen fidei, ad quod de tenebris gentilitatis sunt translati per KILIANVM & COLOMANNVM, EGBERTVM, & SVITBERTVM, GALLONEM & ARNVBALEM, WILIBRORDVM & VULFRAMNVVM per EWALDOS (ob diversitatem Capillorum) *album & nigrum*; per DONATVM & BONIFACIVM, WIGBERTVM & BENEVALDVM, LULLVM & BURCHARDVM, WILIBALDVM & WVNIBALDVM, MEGINGOZVM & VIRGILIVM, WAHONEM & REGINBERTVM, GOZARIVM, & LATINVM, RICHARDVM & MODESTVM STVRMIUM & LVDGERVM &c. &c. omnes & alios plurimos BENEDICTINOS, quorum solummodò cum BONIFACIO 52 ipso suo sanguine nostram GERMANIAM irrigârunt. Ita, ut postmodum omnis generis virtutum, literarumque redita sit feracissima. Imò & ipsum nostrum Germanicum solum, horridum aliàs & incultum, nostrorum labor & opera excoluit, uti palam facit insignis scriptor THOMAS BOZIVS *de Sign. Eccles. l. 10. c. 11.* sic loquens: „Priscis temporibus GERMA-

MA-

„MANIAM, BRITANIAM, & quidquid est
 „telluris supra RHENVUM & DANVBIVM,
 „omnia fuisse inculta, neque populos
 „operam dedisse agriculturæ, terramquæ
 „horrentem & sterilem fuisse. sed post-
 „quam sedes Apostolica misit in ea loca
 „Monachos & alios, qui gentes efferas ad
 „Christum & humaniorem victum tradu-
 „cerent, iique variis in locis Monasteria
 „constituerunt, ex eo nihil non fructuum
 „produci scimus ex iis terris. Sic itaque
 „Monachorum, quos nunc NB. IMPII
 „persequuntur, operâ & industriâ fiebat,
 „ut populi septentrionales addiscerent
 „pietatem, literas, ipsam denique agri-
 „culturam.” Quod confirmat *de fidei pro-*
pagatione l. 4. c. 8. GERMANI quippe (ut
 EX TACITO de moribus GERMANORVM
 probatur) barbari olim fuerunt sine poli-
 tiâ, sine humanitate, sine fronte, sine ve-
 ris aris & focus, sæpè etiam sine casis, nul-
 læ munitæ iis urbes erant, nulla oppida
 murô cincta, aberant hortorum & villa-
 rum deliciæ, nullæ consitiones, nulla vi-
 neta colebantur. Præbebant largos flu-
 mina potus, Lacus & stagna inserviebant
 Lavacris, & si quas natura calentes pro-
 du-

duxerat aquas. NOSTRI tamen MONACHI feritatem illis detraxerunt, ut vitam politicam & Communem instituerent, persuaserunt, ad ultimum id effecerunt, ut, ubi ipsi Asceteria construerent, mox hi sese agglutinent, ibidem loca sedibus caperent, donec densis nimium cuneis agglomerati, angustos pagos in amplissimas Civitates, horrida dumeta in amœnissimas hortorum delicias aperuerunt. Sicquæ BENEDICTINIS in acceptis referendum, quod, ubi aliàs stetere frutices, nunc (ut ait quidam poëta) *fluctuent ariste*. Quæ fusiùs videri possunt apud P. EGGER in *Idæa Ord. l. 2. p. 4. diff. 3.* scientiarum insuper disciplinam è Benedictinorum scholis emanatam esse per GERMANIAM, colligitur ex dictis hoc *cap. §. 1. n. 69. § 70.* Et magis patebit ex dicendis *cap. 3. §. ult.*

Habet ergo GERMANIA à BENEDICTINIS veræ fidei Lumen, habet scientiarum florem & disciplinam, habet sollicitum, integras urbes & oppida, debet ipsis Benedictinis panem, quo vescitur, utinam beneficii non immemor nec ingrata! Ut cæteros nunc jurium Benedictinorum invasores præteream, cum P. EGGER

GER l. 1. p. 5. dissertat. 4. n. 5. arguo, COMMENTATOREM vel solo primi meriti titulo (quem nullæ non gentes sacrosanctum habent) oportuisse cum nostris modestius & submissius agere, nec in ipsâ etiam GERMANIA præcedentiæ jus BENEDICTINIS surripere, sed potius persuadere suis, ut & filiorum debitam pietatem, & Juniorum ingenuam observent verecundiam, nec ambient ipsis præponi, QUORVM MAJORIBVS referre in acceptis tenentur, quod genuini sint homines, christiani scilicet & Literati.

§. V.

Solvitur Objectio ex Jure Canonico petita.

93. OBJICIES quartò. *Causâ 16. q. 1. can. 4. dicitur ex S. HIERON. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstolatur adventum. Et in Can. seq. si cupis esse, quod dixeris, Monachus, id est solus, quid facis in urbibus?* ex quibus colligitur, officia Clericalia non competere Monachis.

K 2

Resp.

Resp. I. Ipsum idem solvendum est *Canonicis Regularibus*, qui à *sanctorum Monachorum proposito non putantur sejuncti*. ut loquitur INNOCENTIUS III. *l. c. n. 91*. Et æquè *Canonicorum Regularium* functio principalis est, in choro horas *Canonicas* persolvere, uti docent BEYERLINK V. *Religiosus*. AZOR. *instit. moral. p. 1. l. II. c. 24*. LESSIVS *l. 2. c. 41. Dub. i. n. 17. &c.* Imò istud argumentum maximè stringit WINDESEMENSES, quorum instituto contraria est cura pastoralis. ut patet ex dictis *n. 74*. Quod autem *BENEDICTINIS* regulæ & statutorum non prohibetur, sed potius in statutis *BURSFELDENSES* habent speciale caput *de vice-Curatis*, seu *Expositis ad curam animarum*.

Resp. 2. Cum RUPERTO TVITIENSI, qui *l. 3. in reg. s. BENEDICTI*, Clerico allegatos textus objicienti, sic loquitur:
 „Clerice, aperto ore, sed clausis oculis
 „scripturam legis; si enim ita, ut tu dicis,
 „accipiantur dicta *HIERONYMI*, conse-
 „quitur, *HIERONYMVM* ipsum sibi nimis
 „contrarium, ipsum pium adversus suam
 „sententiam facis, ut Monachus prædica-
 „re non audeat, cujuscunque scientiæ sit,
 cum

cum B. GREGORIVM Monachico *habi-*
tu præfulgentem, & alios quàm pluri-
 mos hujus ORDINIS viros Apostolica
 sedes admisit ad officium Apostolici fa-
 stigi, quod & usque hodie facere non
 desinit.

Et HIERONYMVS, qui ait, *Monachus*
non habet docentis officium, sed lugentis:
 Monachus est, dum hoc ipsum docendi
 officio dicit, & dum totâ vitâ non so-
 lum docendo, sed etiam mansuram do-
 ctrinam scribendo, inter summos Do-
 ctiores meretur computari. HIERONY-
 MVM, cujus patronam habes sententiam,
 Monachum fuisse nesciebas? non ergo
 mireris, quod tu adversus Monachos
 tam ineptè blateras, cum adeò sacra-
 rum literarum inexpertus sis, ut HIERO-
 NYMVM & GREGORIVM, cæteraquè
 cœlestis Palatii Sydera, Monachos fuis-
 se audiens, attonitus stupeas. ita S. RV-
 PERTVS.

Resp. 3. Illos textus intelligendos esse
 de antiquis Monachis solitariis, qui merè
 erant Laici, veluti illi, qui in ÆGYPTO, in
 THEBAIDE & alibi morabantur, nec Sa-
 cerdotio initiati, nec scientiâ instructi, non

autem de Monachis Ordinis, Clericatum exigentis.

94. INSTABIS. S. GREGORIUS *cit. causâ 16. q. 1. c. 2.* dicit: *Nemo potest & Ecclesiasticis officiis deservire, & in Monachicâ regulâ persistere; sed Monachi tenentur in Monachicâ regulâ ordinatè persistere, ergo non possunt Ecclesiasticis officiis deservire.*

Resp. Ex D. TH. *opusc. 19. c. 2.* hoc non esse intelligendum de his, quæ ad substantiam Religionis pertinent, sed intelligitur, quantum ad alias observantias, sicut silentium, vigiliâs &c. quod etiam patet ex hõc, quod sequitur in prædicto capite: *Ut ipse Monasterii districtiõnem teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Unde*

Resp. secundò. Idem solvendum esse *Canonicis Regularibus, maximè Windesemensibus, qui non aliter, ac Monachi alii ad Monasticas observantias tenentur, uti ex reform. BVSCHII perlucidum est. Cætera discreto silentio relinquens, solius silentii mentionem facio: refert BVSCHIVS Præpositus Sultensis de reform. Monast. c. 3. apud LEIBNITZ fol. 480. cum Præpositus*

tus

tus Nuffiensis, & Prior de NORTHORN coram Domino Colonienſi contenderent de habitu & ſtatutis; Præpoſitus dixit: *Patres iſti (Windesemenses) ſtatuunt, quod per ſe non ſervant, videlicet ad menſam ſilentium, reſpondet Prior HENRICVS LODER, habemus in ſtatutis, quod ad menſam debemus ſervare ſilentium, ſi frangimus, debemus legere ſeptem Pſalmos pœnitentiales.*

95. Reſp. tertio. Intentionem ſ. GREGORII colligi ex circumſtantiis, in quibus ea verba ſcripſit, quas declarat MABILLON in *Apol. p. 1. n. 3. fol. 53. & ſeq.* ubi ſic habet: "ſ. GREGORIUS in epiſtola (l. 4. epist. 2.) ad JOANNEM Episcopum Ravenatē ſcriptā conqueritur, quosdam Eccleſiaſticos ſæculares, vitam religioſam præ ſe ferentes, occupare Monasteriorum præfecturas, aitquē, hæc duo officia ſimul jungi non poſſe; cū enim illi Eccleſiaſtici uni alicui Eccleſiæ obſtringerentur, non poterant illi muneri ſociare vitæ Monastiæ exercitia, ad quæ eos Monastiæ profeſſio vocabat; multò minùs poterant obire Monasteriorum Præfecturas, quod dignitas Superioris ab eis exigebat: Imperat itaquē JOAN-

„NI, ut abusum tollat, aitquè, se nullo
 „modo passurum, ut ambitione Clerico-
 „rum Monasteria in ruinam præcipiten-
 „tur: *Nulla modo patiar* (inquit) *ut loca sa-*
cræ per Clericorum ambitum destruantur:
 „Hæc est medulla hujus epistolæ. Ea-
 „dem ad MARIANVM JOANNIS succes-
 „sorem repetit.” Ita MABILLONIVS.
 Nil ergo infertur ad intentum Adversa-
 riorum. GRATIANVS hæc de re aliter
 mentem suam explicat *causâ 16. q. 1. c. 36.*
39. 40.

Videatur etiam D. TH. 2. 2. q. 187. a. 1.
 in ☉, ubi specialiter BENEDICTINORVM
 factâ mentione, leguntur hæc DOCTORIS
 non tantum scientiâ, sed etiam moribus
 Angelici verba: „Religiosi ad hoc (scilicet
 „prædicare, docere) redduntur magis ido-
 „nei exercitio sanctitatis, quod assumpse-
 „runt. Stultum autem est, dicere, ut per
 „hoc, quod aliquis in sanctitate promo-
 „vetur, efficiatur minus idoneus ad spi-
 „ritualia officia exercenda. Et ideo stul-
 „ta est quorundam opinio, dicentium,
 „quod ipse status Religionis impedimen-
 „tum afferat, talia exequendi. Quorum
 „errorem BONIFACIVS Papa excludit,
 ut

ut habeatur 16. q. 1. sunt nonnulli &c. ubi
habetur: *Monachis NB. dignius licere bapti-
zare, communionem dare, pœnitentiam impo-
nere, peccata solvere.* Item: *Censemus ergo
eos prædicare, baptizare, communicare, pœni-
tentes solvere, juxta constituta trecentorum
decem & octo Patrum.* Ita Pontifex. vide
supra n. 71.

Cœtera, quæ objici possunt, aut BENE-
DICTINIS & *Canonicis Regularibus* com-
munia sunt, aut nullius momenti, aut sol-
vi facilè poterunt ex dictis. Ex quibus
etiam

96. INFERES; Quia secundum COM-
MENTAT. fol. 51. per se habetur Clericatus
ab iis, quorum Ordini Clericatus ita ex naturâ
& instituto suo adhæret, ut sine illo tota Or-
dinis essentia destruat, sitquè Religiosus ta-
lis Ordinis hœc ipsô, & ex origine suâ Clericus:
quod ordo Benedictinus, cui Clericatus
ita ex natura & instituto suo adhæret, ut
sine illo tota Ordinis essentia destruat,
quiquè ab incunabulis suis, successu conti-
nuo Clericalia munia exercuit, sit verè
Clericalis, nec non, sicut *Canonici Reg.* per
se sunt Clerici Regulares, seu Clerico-Mo-
nachi, ita & BENELECTINI per se sint

Monacho - Clerici, imò magis Clerici,
quàm *Windesemenses*.

Consideravimus nunc paulisper ista *cornua*, seu Adversariorum argumenta, ex antiquitate & Clericatu petita, vidimusquè, illa nullius esse roboris contra BENEDICTINOS; *sed ecce! cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, Dan. 7. v. 8. scil. id, quod Canonorum Regul. arbitrato consequens est ex istis suis argumentis, præcedentia nimirum super BENEDICTINOS: sed & hanc consideremus.*

CAPVT TERTIVM.

An præcedentia BENEDICTINIS, an *Canonicis Regularibus* fit debita?

§. I.

Statuitur & probatur conclusio.

97. **D**ICO: BENEDICTINI de jure præcedunt *Canonicos Regulares ordinis s. AVGVSTINI*. Quamvis hæc conclusio ex dictis sit consecutanea, juvat tamen specialiter, eam hîc tueri, ut pateat,
quid

quid Juris à probatissimis Doctõribus, & à consuetudine BENEDICTINIS tribuatur, & Adversariorum indebitus usus, seu abusus Bullæ à PIO IV. in favorem Lateranensium anno Domini 1564. emanatæ enervetur. ex quâ COMMENTATOR fol. 84. deducere conatur prærogativam præcedentiæ sibi, suisquè *Canonicis Regularibus* non tantum præ BENEDICTINIS, sed etiam *Canonicis sæcularibus Cathedralibus* deberi, ita ut, quando *Canonicus sæcularis*, vel plures absque suo Capite, sc: *Episcopo*, vel *Archi-Episcopo cum Canonicis Regularibus* conveniunt, tunc *Canonicos Regulares* præcedere. Possessionem hujus prætensi Juris prætendent fortè, ubi primitùs subegerint BENEDICTINVM ORDINEM, sed hic murus aheneus esto.

Si in *Germaniam, Galliam &c.* BREVE PII IV. supra memoratum fuisset extensum, æquè lubentes acquiesceremus (dicit MABILLON in *Apol. fol. 55.*) verùm, cum id in nos torqueri nequeat, nisi, ut præjudicium casûs particularis, licere nobis arbitramur, discutere, utrùm causæ, id BREVE impetrantes juvent *Canonicos Regulares*

gulares ad MONACHOS BENEDICTINOS expugnandos. Hôc notatô

98. PROB. Conclusio autoritate probatissimorum Authorum: CASSANÆVS in *Catalogo gloriae mundi p. 4. confid. 54. fol. 195.* de ORDINE BENEDICTINO ita scribit:
 „Concludendum est, quod HIC ORDO
 „omnes quoscunquè alios excedit, seu
 „præcedit, etiam *Canonicos Regulares*, ut
 „dictum est; & ista est opinio omnium
 „Doctorum Canonistarum, & scriben-
 „tium - - - & ista est communis, quam
 „omnes tenent, de quâ multum amplè
 „per Concilia PADVANA, BONONIEN-
 „SIA videre poteris, cum sint impressa
 „per VOLATERANVM in suâ antropologiâ
 „in 2. tom. l. 21. „ CASSANÆO con-
 „sentit RENATIVS COPPINVS Author,
 quemadmodum iste â partium studio alie-
 nus, qui post sententiam PII IV. scripsit.
 FERDINANDVS WEIZENGERVS J. U.
 Doctor, Serenissimi *Bavariæ Ducis MA-*
XIMILIANI Consiliarius, in celeberrima
 INGOLSTADIENSI Academia Professor
 Ordinarius, in *Affertionibus Juris Can. de*
Personis, rebus &c. anno 1618. editis fol. 17.
 ita loquitur: “Sunt autem & inter ipsos
 or-

ordines sæpenumerò quæstiones circa
 præminentiam, dum videlicet alii an-
 tiquitate temporis, alii perfectione sui
 instituti, nonnulli numero eorum, qui
 suam profitentur Religionem, aut testi-
 moniis Principum & Magnatum publi-
 cis utuntur, illud constat, Ordinem s.
 BENEDICTI circa annum Dom. DXX.
 fuisse institutum, aliisque, etiam *Canoni-
 cis Regularibus* esse præferendum.

99. NICOLAVM BOËRIVM J. U. Cla-
 rissimum Interpretem, Tractatum *tom. 16.*
 refert sic dicentem: *n. 25. & seq.* “Deinde
 Monachi, & alii Religiosi juxta eorum
 antiquitatem præcedunt, ut tenet ANDR.
 in dicto cap. *quorundam*, & FELYN. in di-
 & *â rubr. col. 3.* post medium. ex quo infert
 DOMIN. in dict. cap. *Episcopus*, quod Mo-
 nachi debent præferri *Canonicis Regula-
 ribus*, quia D. BENEDICTVS composuit
 Regulam Monachorum, quæ est appro-
 bata; ut capit: *super eodem de regul. &*
*fuit ante Regulam Canoniorum Regula-
 rium* approbata. Nec obest secundum
 eum, cap. *avaritiæ, de præbend.* quod præ-
 mittit *Canonicos Regulares*, quia ibi præ-
 mittit in vitio avaritiæ, non in merito

Re-

„Religionis, ut notat ibid. JOAN. ANDR.
 „HOSTIENSIS, & ABBAS antiquus &
 „modernus, & tenet PET. de MONTE in
 „dicto Tract. de Papa & Conc. in V. quæst.
 „& FELYN. in dict. rubr. qui alleg. textus
 „pro hoc facere in cap. Deus, de vita & ho-
 „nestate Cleric. & rubric. de statu Mon. &
 „Canon. Regul. & textus in cap. 2. de supp.
 „neg. prælat. Ubi primò nominantur Mo-
 „nachi. Ad idem capit. perniciosam XLIII.
 „q. 2. Ubi Papa enuntians quasdam regu-
 „las approbatas, incipit à Regula s. BE-
 „NEDICTI & BASILII, & postea no-
 „minat AVGVSTINVM, à quo dicuntur
 „regulam habuisse *Regulares Canonici*; er-
 „go arguendo ab ordine literæ, Monachi
 „præcedunt; & paulò post: Monachi s.
 „BENEDICTI præcedunt BASILEOS, li-
 „cet s. BASILIVS fuerit rogatus à SYM-
 „MACHO Papa, quod interesset electio-
 „ni ejusdem SYMMACHI Successoris, se-
 „cundùm GLOSS. in dict. cap. bene quidem,
 „tamen morte præventus non interfuit,
 „ut dicit ibid. GLOSSA in vers. memorie:
 „Demùm secundùm Card. ALEXANDR.
 „alii Monachi secundùm eorum antiqui-
 „tates debent accedere, & post ipsos Mo-
 nachos

„nachos *Canonici Regulares*, post *Canonicos*
 „*Regulares* ponendi sunt *Mendicantes &c.*
 „&c. BOËRIUS.

Per omnia concordat cum BOËRIO
 FELINVS Auditor ROTÆ in *cap. de major.*
 & *obed.* item BAPTISTA CACCIALV-
 PVS, quem FELINVS vocat *solemnem*
 & *singularem virum*, *consistorialem* &
Principalem Advocatum.

CARAMVEL de CISTERC. *præced. p. 3.*
 adducit ingentem DD. numerum post
 PIANÆ BVLLÆ emanationem tenentium,
 MONACHOS BENEDICTINOS, præfe-
 rendos *Canonicis Regularibus*, qui *Laterana-*
nenses non sunt. Alii aliqui Authores ci-
 tabuntur in solutione objectionum, ubi
 & de consuetudine.

§. II.

Expenditur antiqua consuetudo
 quoad præcedentiam.

100. OBJICIES I. Consuetudo non
 tantum legum, sed omnium Jurium opti-
 ma interpret, vel maximè in quæstione
 de præcedentiâ attendenda & observanda
 est, sed in multis insignibus locis præferun-
 tur

tur *Canonici Regulares* MONACHIS, ergo &c.

Resp. C. Maj. quam docent DECIVS super *secund. ff. veteris l. cum quid lect. 2da* &c. BAL. in *l. observare §. antequam*, sive de *offic. proconsulis in c. cum olim*, in *prin. de consuet. Card. de LVCCA miscell. Eccles. disc. 38. n. 5.* ENGEL. C. de *Major. N. min. cum CACCIALVPO in suo cons. hâc super re dato col. 7.* sic loquente. “Rogo patres Reverendi, ut deponatis affectum, & non fallamini, æquivocando, nam de *Canonis Regularibus Ecclesiarum Cathedralium* non est contentio, quia præhonorantur ratione Capituli; alias autem consuetudo est vetustissima contra vos *Canonicos Regulares Ecclesiarum non Cathedralium* - - - nonne id palpatis ex *vetustissimâ tabulâ Ecclesiæ Ravennatis?* nonne videtis id observatum in *CONCILIO PISANO* tempore *ALEXANDRI II.* ubi semper Monachi & ipsorum Abates vocantur post Episcopos, & Monachi *BENEDICTINI* ante *Canonicos s. AVGVSTINI?* nonne id servatum fuit in *CONCILIO CONSTANTIENSI?* hoc servatum est, & servatur in *Civitate*

VE-

„VENETIARVM, PADVÆ, FLOREN-
 „TIÆ, SENARVM, & ut accepi, in
 „omnibus ferè locis illustribus citra & ul-
 „tra montes.,” Ita CACCIALVPVS

IOI. JOANNES CAMPEGIVS in suo
 cons. pro BENED. §. 4ta ratio, dicit: “Con-
 „suetudo est in omnibus Civitatibus, quod
 „in processionibus, & aliis actibus publi-
 „cis MONACHI sint in loco digniori &
 „honorabiliori,” & postquam retulit, in
 Litaniis S. GREGORII M. ROMÆ habi-
 tis nullam fieri mentionem *Canonicorum*
Regularium (utpote tum temporis non
 existentium, uti *c. t.* probatum est) sic
 pergit: “Item in Regno HVNGARIÆ,
 „FRANCIÆ, ANGLIÆ, in ALEMAN-
 „NIA, BVRGVNDIA, in Civitate LEO-
 „DII, COLONIÆ, THOLOSÆ, semper
 „MONACHI præponuntur *Canonicis Re-*
 „*gularibus*. Idem observatur in ITALIA,
 „videlicet VENETIIS & FLORENTIÆ,
 „ubi sunt annales Processiones, in quibus
 „semper MONACHI præponuntur *Can-*
 „*onicis Regularibus*. In AVSTRIA primò
 „incedunt Mendicantes, postea *Canonici*
 „*Regulares*, deinde *Monachi* S. BENEDI-
 „CTI, postremò omnis Clerus. Idem

L

fer-

„servatur in Civitate ARGENTINA, & in
 „Civitate RATISBONENSI, & in Regno
 „HUNGARIÆ, sic solebat fieri in aliis Civi-
 „tatibus pacificè & quietè, ut MEDIOLA-
 „NI, PAPIÆ, & MANTVÆ, in quâ Civi-
 „tate erat Conventus Monachorum s.
 „ANDREÆ, qui semper præponebantur
 „aliis Religiosis & *Canonicis Regularibus*
 „S. MARCI, ibidem existentibus. Quid
 „plura? idem observatur ROMÆ, constat
 „autem, quod Stylus CVRIÆ ROMANÆ
 „innititur Juri communi &c.,, Haftenus
 CAMPEGIVS.

Quem sic refert ANT. MASSA GAL-
 LESIVS, citans & pro eâdem sententiâ
 n. 252. JOAN. ANDREAM, utrumque Ab-
 batem, BENEDICTVM CAPRAM, *Card.*
 FLORENTINVM, *Card.* TURRE CRE-
 MATA, *Card.* ALEXANDRINVM. GEMIN.
 Auditorem Camerae, PHILIPPVM
 DECIVM; Collegia DD. BONONIÆ, PA-
 DVÆ, & FERRARIÆ, LANCELLOTVM,
 COSMAMPASSETVM, BAPTISTAM de
 S. BLASIO, JOAN. ANTON. PAPIENS;
 FRANCISCVM CVRTIVM Seniore &
 Juniore, DOMINICVM PISELLVM,
 FRANCISCVM PVSTERIA, BONIFACIVM
 de

de PICHIS, STEPHANVM COSTA, ALEXAN-
DRVM de NEVO, ANTONIVM FRANCISCVM
de Doctoribus, STEPHANVM de deside-
riis, BARTHOLOMÆVM de Aquis, Gene-
ralem Ordinis *Eremitarum* s. AVGVSTI-
NI, VRBANVM Abbatem Mediolanen-
sem & BRVNONEM Monachum.

IO2. Quorum omnium nume-
ro, autoritate & bonis rationibus
quasi confusi, & victi pauci illi *Canonici
Regulares* Congr. Lateranensis sc. DOMI-
NICVS TARVISINVS, CELSVS VERO-
NENSIS, & EVSEBIVS Mediolanensis,
qui tempore INNOCENT. VIII. hanc
quæstionem primò moverant, destiterunt
à molestiis, MONACHIS NIGRIS infe-
rendis; Sed iidem ob magnum ambitio-
nis prurium (ait ANT. MASSA) non va-
lentes quiescere, converterunt se contra
Olivetanos, quibus omnino dicebant, se
esse præferendos, allegando, quod illi non
essent verè Monachi s. BENEDICTI, cum
gestarent habitum album, cum *Ord.* s. BE-
NEDICTI nigrum. Primus inter eos confi-
ctus excitatus fuit in Civitate PISTORII, ad
quem sedandum INNOCENTIVS VIII.
Papa per suum BREVE, datum d. 16. Octob.

1484. commisit causam cognoscendam & terminandam JOANNI DAMIANO de BECCIS, de s. GEMINIANO Canonico Volaterrano, Decretorum Doctori, tunc Vicario Generali NICOLAI PANDOLFINI PISTORIENSIS Episcopi. Qui visis consiliis LANCELLOTTI, DECII, quibus subscripserunt præter alios ANT. de CONCHIS, GUIDO de ARETIO, BVLGARINVS de BVLGARINIS, & BARTHOL. SOCCINVS; item Consilio CAMPEGII, & opusculo JACOBI de TRAJECTO, tanquam Delegatus Apostolicus die 17. Maji 1488. protulit sententiam definitivam pro Monachis *Olivetanis*. Similiter etiam pro Monachis PARISIIS Judicatum fuisse dicit CACCIALVPVS col. 7.

103. Sicquè gavisi sunt BENEDICTINI avito suo præcedendi Jure super *Canonicos Regulares* universim omnes, usque ad tempus CONCILII TRIDENTINI, quamvis enim tempore LEONIS X. Canonici Lateranenses obtinuerint, ut in processionibus abjecto habitu, quem domi & in plateis tantùm portabant, sc. Caputio & Cappâ nigrâ, ponerentur cum suis Rochettis ceu Camisiis albis & biretis
post

post Clerum sæcularem, quasi pars illius Cleri, nihil interea mali suspicantibus BENEDICTINIS, cùm, ut quis habeat aliquam præcedentiæ prærogativam, debeat incedere in indumentis, gradui suo convenientibus, & aliàs consuetis, ut docet BVTRIVS *in c. 1. de auth. & usu pallii*, & Card. ALEXAND. *in can. Episcopus 17. Canonici autem Regulares* isti in illo actu non incedebant in habitu suæ institutionis, & consueto, unde & quâ tales non præcedebant. Proinde, etsi hõc stratagemate BENEDICTINIS præcedentiam subdolè præripere quæsièrint, nulla tamen de præcedentiæ jure movebatur quæstio. Tempore autem CONC. TRIDENTINI *Canonici Regulares Congreg. Lateranensis præ-nominatorum DOMINICI, EVSEBII, & CELSI* forsan Discipuli aut æmuli, videntes, quod S. M. PAVLVS III. & JULIUS item III. jufferant, ut ipsi CASSINENSES mitterent tres ex suis Abbatibus, ad s. TRIDENT. CONCILIVM, non quieverunt, donec à PIO IV. magnis intercessionibus obtinuerunt, ut ex eis quoquè tres possent accedere, prout accesserunt, fuitquè eis per Reverendissimos Legatos assigna-

tus locus post ipsos Abbates Cassinenses.

“Ipsi verò statim more solitò (verba „ sunt ANT. MASSA) cæperunt velle ejicere Cassinenses de loco & possessione suâ, „ & velle illos præcedere, dederuntquè „ occasionem liti, ut verum esse appareat, „ quod à multis historiarum authoribus „ proditum est; adeò potentem esse in „ animis hominum majorum suorum imitationem, ut sæpissimè successores in „ unâ & eâdem familiâ, nedum bonos mores, verùm etiam vitia suorum antecessorum imitanda sibi proponant, in eâquè imitatione sibi placeant, atque etiam „ exinde gloriam captent.” Ita cit. MASSA GALLESIVS n. 207.

104. Tandem prædictis illis omnibus non attentis, sub PIO IV. anno 1564. controversia in favorem Canoniorum Lateranensium sic decisa est: sc. *Canonicos Regulares Congr. Lateranensis, uti Clericos NB. dimissâ superiori veste, pallio seu Cappâ, in lineâ veste, Clericaliquè habitu incedentes, in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis præcedere debere.* Cujus sententiæ defectus omnes
etiam

etiam substantiales ex Apostolicæ potestatis plenitudine supplet idem PIVS IV. per Bullam sententiæ confirmatoriam eodem anno, die 18. Januarii emanatam.

Cardinales Judices ad antiquitatem, istorum Canonorum demonstrandam, usi sunt aliquot verbis Bullarum BENEDICTI XII. & EVGENII IV. quibus ajunt standum esse, nam, cum materia dubia dici possit, standum est in dubiis determinationi Papæ. Videbatur autem Cardinali CICADÆ antiquitas *Canonorum Regularium* dubia, quia tum temporis eadem quæstio explicatu difficilis erat, historiâ nondum satis illustratâ, sed cum nostrâ ætate, studio eruditorum historiæ multum lucis affusum sit, præsumpta illa antiquitas profuse evanuit. Et certè, si Canonicos Lateranenses inter & BENEDICTINOS controversia recrudesceret (inquit MABILLON. fol. 49.) dubio procul BENEDICTINI Cassinenses causam evincerent. Nunc

§. III.

WINDESEMENSES an etiam
Lateranenses?

105. OBJICIES secundò. Cum COM-

L 4

MEN-

MENTATORE *fol. 76. Canonici Regulares s. AVGVSTINI Congregationis Lateranensis* ratione solius antiquioris Ordinis & essentialis Clericatûs, ex definitiva sententia summi Pontificis præcedunt Monachos BENEDICTINOS, utpote accidentaliter tantum Clericos, & ordine Juniores: atqui *Canonici Regulares GERMANIÆ, HISPANIÆ &c.* sunt ejusdem speciei ordinis ac Clericatûs cum Lateranensibus, ergo etiam Canonici GERMANIÆ præcedunt quoscunque Monachos, ob paritatem rationis. Ita COMMENTATOR suò Judiciò perquam validè, sed

Resp. Transmissis præmissis, N. conseq. Syllogismus enim ille, sicut non valet vi materiæ, ita nec vi formæ, estquè merus paralogismus, habens quatuor terminos, subjectum enim Majoris (sc. *ly Canonici Regulares s. AVGVSTINI Congregationis Lateranensis*) quod deberet esse medium, non ponitur idem in minori, sed variatum, nempe in obliquo, ut patet consideranti, committunturquè in hoc argumento suò modò fallaciæ & *accidentis & figuræ dictionis*, uti emunctæ naris Dialecticum

eticum, hanc appellam legentem minimè fugit.

Ut ergo legitimè concludatur, sic ponatur minor: atqui *Canonici Regulares GERMANIÆ, HISPANIÆ sunt Canonici Regulares s. AVGVSTINI Congregationis Lateranensis*; sed ista minor est falsa secundùm ipsum COMMENTATOREM, qui fol. 76. & 77. fatetur, CRVCELINGENSES *Canonicos Regulares ORD. S. AVG.* non esse Congregationis Lateranensis. Sicquè Judicatum fuit à Curia Romana anno 1706. die 8. Febr. hisce verbis: „Prædictis anno & die CAROLVS de Marinis Cameræ Apostolicæ Auditor, motâ præcedentiæ controversiâ CREVTZLINGEN contra PETERSHAVSEN, agnovit Bullam PII IV., cujus executio pariter à CREVTZLINGENSIBVS in libello seu monitorio specialiter petita fuit, esse alienam à nostris terminis, dum nec CREVTZLINGENSES sint NB. de Congregatione Lateranensi; ERATH. *Can. Reg. in Comment. ad reg. s. AVGVST. fol. 77.* nec PETERSHVSIANI de Congregatione Casinensi, quæ non excedit fines ITALIÆ, CARD. LVC. *de reg. discip. c. 19. n. 21.* in-

„ter quas Congregationes diploma PIA-
 „NUM emanavit, ut in terminis termi-
 „nantibus firmant TAMBVR. *de Jure Abb.*
 „tom. 1. disp. 25. q. 6. n. 8. BORDON. tom. 4.
 „theatr. præc. § major. n. 255.” Ita CV-
 RIA ROMANA.

106. Confirmatur ex JOAN. BVSCHIO,
 qui, cùm esset Præpositus *Novi Operis Hal-*
lis, de se ipso, scribit *l. de reform. Monast. &*
habetur in MSto Kiloniensi c. 19. se ob re-
 formationis zelum cum laude notum fu-
 isse ROMÆ, & Ecclesiæ Lateranensis Mo-
 nasterii *Canonicorum Regularium*, ac totius
 Provincialis Capituli eorum fraternitatem
 recepisse. Ad quid autem Lateranensis
 capituli seu Congregationis fraternita-
 tem impetrâsse, si *Windesemenses* sunt ejus-
 dem Congregationis? cum sim Ego Capi-
 tuli sive Congregationis *Bursfeldensis*, non
 expecto, sed habeo dictæ Congregationis
 confraternitatem, nec indigeo modò spe-
 ciali concessione. Accedit, *Windesemen-*
ses proprium habere *Generalem*, propria
 statuta à Lateranensibus diversa, composi-
 ta per aliquot Religiosos viros, specialiter
 ad id deputatos, uti refert JOAN. BV-
 SCHIVS *Chron. WIND. l. 1. c. 24.* Item
 Cano-

Canonici Regulares Lateranenses ex instituto & professione innatum officium habent curæ animarum, uti docet BORDONVS *Decis. Miscell. de Can. Later. Juribus Paroch. per tot.* WINDESEMENSIVM è contra instituto cura animarum est contraria, uti monstratum est supra c. 2. §. 2. n. 74. Quomodo ergo LATERANENSES & WINDESEMENSES ejusdem Congregationis?

107. Hinc risu meritò excipitur recentior illa, non nisi meram præcedentiæ ambitionem spirans titulaturâ, quâ *Canonici Regulares* à se ipsis, teste ABAILARDO sic appellati, se ipsos nunc (uti in aliquibus mortuariis eorum epistolis videre est) *Ordinis S. AVGVSTINI Congregationis Lateranensis Capituli WINDESEMENSIS* appellitant. Quod quæso inter Capitulum & Congregationem *Windesemensem* discrimen? non aliud sanè, quàm inter enssem & gladium, cum ab ipso BVSCHIO, sicut *Congregatio Lateranensis*, ita & passim *Windesemensis* vocetur capitulum. Sic & liber JOANNIS BVSCHII, quem anno 1621. ANTWERPIÆ in 8 edidit HERIBERTVS ROSWEIDVS S. J. vocatur *de origine Congre-*

gregationis *Windesemensis*. MIRÆVS in suo chronico universalis, edito *Antwerpia* 1608. ad annum 1387. vocat illum librum *de origine, virisque illustribus Capituli seu Congregationis Windesemensis*. Imò & CONGREGATIO NOSTRA BURSFELENSIS ab eodem BVSCHIO vocatur *Capitulum de reform. monast. c. 44.* ubi dicit, per Abbatem *Bursfeldensem* JOANNEM de HAGEN (sic habetur in Chronico CLVSINO) HILDESIIENSEM quondam Canonicum in *Cartallo*, multa ORDINIS NOSTRI Monasteria per SAXONIAM, THVRINGIAM, MISNIAM, & circa partes RHENI, in FRISIA, WESTPHALIA, & in partibus stagnalibus esse reformata, de quibus unum congregavit Capitulum ORDINIS S. BENEDICTI, quod Capitulum BURSFELENSE nominatur, plus quàm triginta sex habens virorum Monasteria, demptis Monialium. Ita ille. Sic & in JOANNIS LEGATII *chron. Monasterii s. GODEHARDI n. XV.* CONGREGATIO BURSFELENSIS vocatur *Capitulum*, & aliàs usque hodie sæpè. Accedit, quod ipsi *Windesemenses* hâc in re sibi ipsis minimè constent, dum etiam aliqui se *Capituli Windesemensis*, alii se *Congregationis Windesemensis* scribunt. 108.

108. Sed nunc ad spurium istum COMMENTATORIS syllogismum redeamus. Quid ad primam ejus propositionem dicendum sit, prudens lector facilè colliget ex dictis cap. 1. & 2. CORBINIANVS KHAMM respondet sic: *Canonici Regulares Lateranenses &c.* præcedunt BENEDICTINOS ex sententiâ definitivâ prolatâ ex fundamentis dubiis, & ideo indiguerit BVLLA defectuum suppletivâ C. ex fundamentis certis & clarè probatis N. CARAMVEL Â COMMENTATORE fol. 77, relatus, sic distinguit: *Lateranensibus* adjudicata est præcedentia ex privilegio seu gratiâ C. ex naturâ rei, seu debito, vel Jure Negat. Unde

Ad 2dam propositionem Dico: datô, quòd *Canonici Regulares GERMANIÆ* sint ejusdem speciei Ordinis ac Clericatûs cum *Lateranensibus*, tamen prædicta sententia in eorum favorem extendi & trahi non posset. non enim, quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit. CAN. hinc est 39. 16. q. 1. & quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. Reg. 74. *Juris in 6.* nec licet unquam (inquit CORBIN. KHAMM.) BVLLAM seu privilegium ad

ad causas aut personas non expressas extendere, etsi subsistat quædam paritas. Ratio â priori est, quia BVLLÆ, aut privilegia non valent ultra intentionem conferentis, â qua pendent: si ergo intentio se non extendit de causâ ad causam, & de personâ ad personam, nec valor extendi potest. Paritas autem rationis plus non evincit, quàm quod alius sit æquè dignus privilegio; sicut alius pauper est æquè dignus eleemosynâ, neque tamen, quia unus accipit, alter par Jus acquirit. Aliud enim est, esse dignum privilegio, aliud illud habere.

109. Constat etiam ex sententia CAROLI de MARINIS nunc S. R. E. Cardinalis n. 105. allatâ, item ex TAMBVR. & BORDONO in illa citatis. TAMBVR. l. c. sic habet: “illud tamen advertere oportet, quod circa litem illam stabilita & decisa ad favorem *Canonicorum Regularium Lateranens.* non extenduntur ad alios Abbates & *Canonicos Regulares* cæterarum Congregationum, etiam sub s. AVGVSTINO militantium, & ideò minùs benè JOSEPH MOZZAGR. l. 2. §. 8. fol. 9. p. 2. probare contendit sententiam
â PIO

à PIO IV. ad favorem *Canonicorum Re-*
gularium Lateranens. latam, æquè pro Ca-
 nonicis suæ Congregationis s. SALVA-
 TORIS BONONIENSIS facere: cùm
 ex ejusdem sententiæ verbis id non fa-
 tis appareat: imò contrarium eliciatur;
 cùm in ea Lateranensis tantùm Congre-
 gationis Canonici nominentur; ideo me-
 ritò illius dicta circa hoc confutantur à
 GABRIELE PENNOTO *histor. tripart.*
Canon. Regular. l. 2. c. 53. n. 12. ubi testa-
 tur, dictæ Congregationis s. SALVA-
 TORIS BONONIENSIS Canonicos in
 eâ causâ ne per somnium quidem no-
 minatos, sed neque laborum, vel ex-
 pensarum participes fuisse., ita TAM-
 BVR.

BORDONVS *l. c.* sic docet, "Hujusmo-
 di sententia restringitur ad favorem so-
 lùm *Lateranensium*, exclusis à favore alijs
Canonicis Regularibus, contra præcisè &
 solummodò NB. MONACHOS CASSI-
 NENSES, eâ ratione, quia in sententiâ
 & BVLLA fit tantùm mentio de his dua-
 bus Religionibus, ut patet legenti; ergo
 alijs nec prodesse, nec obesse potest, *cap.*
super 15. de offic. deleg. cap. veniens. 8. de
trans-

transact. BARBOSA axiom. 199. n. II. tum
quia sententia est strictissimi Juris, FVL-
GOS. conf. 49. ALEX. vol. 7. conf. 164. DEC.
conf. 47. tum quia intelligitur absque
præjudicio 3^{ti}, L. Et post 12. §. res quæ ff.
famil. Erisc. tum quia conformis debet
esse libello. l. ut fundus 18. ff. de Jud. lis
autem solùm erat inter prædictos. De-
mum sententia tantum importat, quan-
tum sonat, SOCIN. JUN. conf. 181. n. 6. Et
97. ROTA vol. 2. decis. 317. n. 4. sonat au-
tem in Lateranenses & Cassinenses. er-
go illos tantùm comprehendit - - - fa-
vet hæc sententia Lateranensibus, non
prout singuli spectantur, sed prout capi-
tulariter considerantur, quod probatur
ex verbis sententiæ &c. &c., Hactenus &
pluribus BORDONVS.

§. IV.

BENEDICTINI sunt in possessione
præcedentiæ super *Canonicos Regu-
lares* non Lateranenses.

HO. Idipsum constat ex consuetudine,
optimâ legum interprete, & BENEDICTI-
NORVM continuatâ possessione præce-
den-

dentia super *Canonicos Regulares non Lateranenses*. Nam Congregatio s. SALVATORIS, seu BONONIENSIS quatuor Monasteria ROMÆ habens, in omnibus ITALIÆ urbibus, etiam Romæ in conspectu Pontificis, Cardinalium, & totius Cleri (teste non tantum MABILLONIO in *replica fol. 54.* sed plurimis gravissimis viris, qui ipsi talibus processibus sæpius, & adhuc noviter interfuere) cedit BENEDICTINIS.

In GALLIA nulla ferè est Civitas paulò nobilior, in quâ, concurrentibus utriusque Ordinis asseclis, BENEDICTINI non primas ferant. Eo jure gaudent præcipuè RHEMIS, SVESSIONE, CABILLONE, BELLVACI, NORCIOMI, ATTREBATI, TVRONIS, AVDOMAROPOLI &c. item RHOTOMAGI, BITVRICIS, ANDEGAVI, CENNOMANNI, BAJORÆ &c. Ita MABILLON in *replica fol. 62.* Cùm autem anno 1688. *Canonici Regulares in BVRGVNDIA præcedentiam BENEDICTINORVM, in Comitibus statuum BVRGVNDIÆ longâ possessione roboratam, impugnarent, R. P. D. MABILLON, BENEDICTINVS Congreg. s. MAVRI Ad-*
M ver.

versariorum ictus adeò validè retorsit, ut palmam cum rubore BENEDICTINIS cedere sint coacti, ipsò Rege Christianissimò, perlectâ geminâ apologiâ per solemnem sententiam MABILLONIO victoriam attribuyente.

In inferiori GERMANIA in omni publico conventu primum locum dari BENEDICTINIS, notorium dicit CARAMVEL *de Cisterc. præcedentia p. 3. n. 251. & seq.* ostenditquè id practicari *Oosterkirch, Aldenburgi, Bruxellis, Lovanii, Brugis, Valenciennis, Turnis, & in Comitibus & Congregatione statuum.*

In superiori GERMANIA Abbas *Weingartensis* Ord. s. BENEDICTI in electionibus, exequiis Reverendissimorum & Celsissimorum Ordinariorum Constantiensium honoratiorem locum *Creutzlingen* Ord. *Can. Regul.* nunquam permisit, usquè huc, nec deinceps permittet, uti refert P. EGGER *in Idæa Ordinis fol. 336.* in liberâ ac Imperiali Civitate *Augustanâ* Abbas VDALRICIANVS, & alii BENEDICTINI absquè ulla controversia præcedunt *Canonicos Regulares* s. AVGVSTINI, uti testatur
CORB.

CORB. KHAMM professus ad SS. VDALRICVM & AFRAM.

III. In *Austria* inquit COMMENTATOR
fol. 147. Reverendissimus Prælatus Cano-
nicorum Regularium in Claustro Neoburgi
 omnes BENEDICTINOS Abbates, alios-
 què, nemine contradicente, præcedit.
 Communicavi hæc (scribit P. EGGER *l. c.*)
 cum viris gravibus, consuetudinumquè
 in Provinciis illis admodum gnaris, qui
 vehementer exarserunt, & ore tenus, scri-
 ptoquè ex toto contrarium asseverârunt,
 attributis Adversario titulis, quibus no-
 lim importunè, vel ejus, vel alienas au-
 res gravare. Ego autem præcedentiæ
 praxin Reverendissimorum Dominorum
 Prælatorum inferioris *Austriæ* exactè in-
 dagans, responsionis locò accepi, allega-
 tam COMMENTATORIS praxin esse
 omninò falsam; siquidem passim no-
 tum, Reverendissimum Dominum Ab-
 batem Ordinis s. BENEDICTI *Mellicen-*
sem non tantum præcedentiam habere
 præ omnibus inferioris *Austriæ* Præla-
 tis, sed esse omnium eorum Præsidem
 & primatem.

„Pergit EGGER fol. 357. ejusdem fari-
 „næ sunt, quæ COMMENTATOR retulit
 „de Tyroli, cum literæ ab Admodum Re-
 „verendo & Clarissimo P. EVGENIO
 „SPETH, professo Salemitano, SS. Theo-
 „logiæ Doctore, ac Notario Apostolico,
 „(qui in eâ Provinciâ longo tempore mo-
 „ratus, morum omnium ac consuetudi-
 „num oculatissimus fuit observator) ac-
 „ceptæ, longè diversa perscribant.” Sic-
 què confutata sunt ista COMMENTATO-
 RIS commenta.

II2. *Bavariæ* praxin testatur WEITZEN-
 GERVS supra n. 98. allegatus. *Coloniæ* ad-
 huc novissimè spectante totâ urbe, in so-
 lemnibus exequiis Serenissimi *Bavariæ* Du-
 cis Archi-Episcopi & Electoris *Coloniensis*
 JOSEPHI CLEMENTIS p. m. BENEDI-
 CTINI præcessère *Canonicos Regulares*
 Ord. S. AVGVST.

BENEDICTINI *Hildesienses* ex consue-
 tudine veteri in viridi observantia existen-
 te, in Comitiiis, & publicis conventibus
 præcedunt *Canonicos Regulares*; inter se-
 ptem enim Ecclesias, primum post Reve-
 rendissimum Ecclesiæ Cathedralis Capitu-
 lum, Patriæ statum coädunantes prima est

S. MI-

S. MICHAËLIS ORD. S. BENEDICTI, cujus Reverendissimus Abbas aliarum Præses esse dignoscitur; secunda S. GODEHARDI ejusdem Ord. S. BENEDICTI, *Sultensi*, Ordinis *Canonicorum Reg.* non nisi quintô locô subsequente. Istam BENEDICTINORVM præcedentiam testatam reliquit JOANNES BVSCH: quondam Præpositus in *Sulta*, qui *l. c. supra c. 1. §. 6.* dicit, se cum suis in *aureâ missâ in suo ordine stetisse*; quis autem sit iste ordo tum temporis, scil. anno 1440. observatus, declarat, dum *l. de reform. monast. c. 8. in MSto Kiloniensi* sic habet: "in *Hildefem* --- Sabbathô post Communes" aurea cantatur Missa ab omnibus Præ." latis, Canonicis, Sæcularibus, & Religio-" sis cujuscunquè Ordinis, BENEDICTINEN-" SIBVS, NB. *Canonicis Regularibus*, Prædi-" catoribus, Minoribus totius Civitatis &c." Nec dici potest, BVSCHIVM suos ex humilitate BENEDICTINIS postposuisse, aliàs enim postposuisset se omnibus.

Item quid Juris præ Præposito *Sultensi* habeat Abbas S. MICHAËLIS, indicat idem BVSCHIVS *l. 1. de reform. Monast. c. 47. de HENRICO BERTKOVV S. Michaëlis Abbatate* sic scribens: "Quamvis major post"

„Episcopum in Diocesi *Hildesimensi* no-
 „scitur esse Prælatum; humilitatis tamen
 „gratiâ *minores*, & longè infra se Præla-
 „tos ad mensam suam, & alibi sæpiùs su-
 „pra se locavit, sicut coram positi oculis
 „nostris sæpe perspeximus, & admiran-
 „tes laudavimus: Mihi quoque omnium
 „Prælatorum minimo hæc præmissa, ac
 „multò majora veræ charitatis & humi-
 „litis suæ indicia, ab initio mutuæ no-
 „stræ dilectionis usquè in præsens sæpe
 „ostendit, & pro affectu suo plenissimo
 „plura demonstrasset, quæ propter meam
 „humilitatem virtuosè conservandam à
 „tanto patre recipere aliquando recusavi.
 Ita BVSCHIVS.

III. Inter Monasteria ruralia utriusquè
 sexûs extrema semper sunt *Canonicorum*
Regularium Ord. s. AVGVST. primum
 enim *Ringelheimense* Ord. s. P. BENEDICTI,
 cujus Reverendissimus Abbas omnium
 aliorum Præses; cætera subsequuntur hoc
 ordine: *Lamspringense* Ord. s. BENEDICTI;
Derneburgense Ord. Cisterc. *Georgimontanum*,
 nunc *Grawhoff* Ord. Canon. Regul. *Richen-*
bergense Ord. Can. Reg. & hæc virorum.
 Monialium sequuntur simili ordine: *E-*
scher-

scherdense Ord. s. BENEDICTI, *Woltigero-*
dense Ord. *Cisterc.* *Heiningense* Ord. *Canon.*
Regul. *Dorstattense* ejusdem Ord. Hic &
 non alius in publicis eorum conventibus
 servatur ordo, sicquè Præpositi *Canon Reg.*
 non tantum virorum nostris Abbatibus,
 utpote Mitrà splendidis, sed & Monialium
 Ordinis s. AVGVSTINI Præpositis Mo-
 nialium Ord. s. BENEDICTI locò cedere
 de more debent, argumentò irrefragabili,
 MONACHOS BENEDICTINOS, non obstan-
 te sententiâ in favorem Lateranensium
 prolatâ, etiam nunc Jure præcedentiæ
 gaudere præ *Canonicis Regularibus* hujati-
 bus.

II4. DICES. Cum COMMENTATO-
 RE fol. 60. contra id, quod n. 110. primò lo-
 cò dictum est: *Canonicos Regulares* s. SAL-
 VATORIS de BONONIA differre specie,
 seu non esse ejusdem speciei Ordinis cum
Canonicis Regularibus Ordinis s. AVGVST.
 consequenter illorum exemplum nil pro-
 bare pro BENEDICTINIS.

Sed ista COMMENTATORIS responsio
 est contra ipsum COMMENTATOREM:
 ideo enim *Canonici Regulares* s. AVGVSTI-
 NI, qui habitu lineo utuntur, sunt in toto

mundo per COMMENTATOREM fol. 62.
 n. 176. ejusdem speciei cum *Canonicis Regularibus* Congregationis Lateranensis,
 quia primò, habitus *Canon. Regul.* essentialis, seu tunica linea, est communis Lateranensibus Cathedralibus & GERMANIS *Canonicis Regul. s. AVGVSTINI.* 2dò, quia non habent distinctos Fundatores & Authores n. 179. 3tiò, quia conveniunt in nomine, definitione, & fine, & functione Ordinis n. 181. Atquì hæ conditiones conveniunt *Canonicis Regularibus s. SALVATORIS*, habent enim habitum essentialem eundem, sc. tunicam lineam, quamvis super istam, & infra Cappam, quam retinuerunt, portent scapulare candidum, quod non obest; nil enim, quod advenit essentiali, facit essentialiter differre. Præ-
 tendunt etiam, se sui Ordinis Authorem habere s. AVGVSTINVM; similiter vocantur Ord. s. AVGVST. & habent eundem finem &c. ergo secundùm & contra COMMENTATOREM sunt ejusdem speciei cum *Canonicis Regularibus* Lateranensibus. Ergo si illis non favet BVLLA PIANNA, neque WINDESEMENSIBVS, neque aliis favere potest; ergo sicut illi cedunt

BENEDICTINIS, ita & Windesemenses de Jure cedere eisdem tenentur, velint, nolint.

II5. SIDICAS. Canonicos s. SALVATORIS, five de BONONIA non habere institutorem eundem cum Lateranensibus, sed STEPHANVM CLONVM Senensem, prius Ord. Eremitarum s. AVGVST. BONONIÆ annó 1408. approbante GREGORIO XII.

Accepto hoc utiliter, & infero; ergo & *Windesemenses* non habent eundem Institutorem cum Lateranensibus, sunt enim instituti à GERHARDO GROTEN, ut dictum supra c. 1. §. 6. n. 50. ergo non sunt ejusdem speciei Ordinis.

Addo: *Windesemenses* non habent eundem finem institutionis, non enim convenit eis cura animarum, & ideo nec Bireto uti, ut patet ex dictis supra c. 2. n. 47. ergo sequitur idem.

Insuper advertendum hîc obiter pro confirmatione eorum, quæ dicta sunt supra c. 1. §. 6. n. 74. Secundum COMMENTATOREM, habitus lineus est essentialis Ordini *Canonicorum Regularium* s. AVGVST, ergo aut fallit COMMENTATOR, aut

DD. *Sultenses, Georgimontani &c.* ante annum 1440. non fuerunt ejusdem speciei *Canonici Regulares* s. AUGVST. non enim habuerunt ejusdem Ordinis habitum essentialem &c.

II6. DICES. Multis *Canonicorum Regularium* Monasteriis conceditur, uti posse omnibus & singulis privilegiis Ordinis Lateranensis, & inter alia, ut Lateranenses præcedant BENEDICTINOS, conceditur, ergo saltem *Canonici Regulares*, qui gaudent privilegiis Lateranensium, præcedunt BENEDICTINOS.

Respondet CARAMVEL de *Cisterciensium*
 „ præced. p. 3. n. 242. hanc instantiam esse
 „ honorificentissimam BENEDICTINIS,
 „ at Lateranensibus fortè injuriosam; ipsi
 „ enim ratione veræ antiquitatis, & non
 „ privilegii prætextu præcedentiam post
 „ magnas difficultates & probationes,
 „ non tamen meridie clariores, obtinuerunt.
 „ Unde, si Lateranenses non habent
 „ præcedendi privilegium, hoc participare
 „ *Windesemenses* nequeunt: non enim participatur quod non est. Adde, etiam
 „ ex hypothese (vera ipsa sit, an non) quòd
 „ Lateranenses non nisi ex privilegio præ-

cc-

cedant, hoc privilegium ad *Windesemen-*
ses non extendi; nam & DOMINICA-
 NI, FRANCISCANI, JESUITÆ sunt
 participes omnium privilegiorum con-
 cessorum aliis quibusque Ordinibus, ac
 præterea etiam Lateranensi, & tamen
 BENEDICTINOS non præcedunt. ita ver-
 bo-tenus GARAMVEL *l. c. n. 266. & sqq.*

DOMINICANIS novissimè anno scili-
 cet 1727. per specialem constitutionem
 SSmi Domini nostri BENEDICTI XIII.
 non tantùm confirmantur §. 77. concessa
 illis olim privilegia aliorum Ordinum &
 Congregationum in genere, sed etiam no-
 minatim conceduntur privilegia *Canonico-*
rum Regularium Lateranensium &c. *Quam-*
vis illa sint speciali notâ digna, difficilisquè
concessionis, & quæ in generali concessione non
veniunt. Nec tamen præcedentiâ super
 BENEDICTINOS, uti patet ex §. 64. ejus-
 dem constitutionis.

Similiter & ipsi BENEDICTINI gaude-
 mus eisdem omnium Ordinum & Con-
 gregationum, consequenter & Lateranen-
 sium privilegiis, uti fusiùs ostendunt P.
 GEORG. GEISSER *in Privil. Ord. s. BENED.*
 VIRGINIVS ALVISET *in muren. vermic. &c.*

Quid

Quid ergo ex istâ privilegiorum communicatione inferri potest contra BENEDICTINOS pariter privilegiatos? “si enim privilegia sint æquè fortia, tunc privilegiatus nequit uti privilegio contra pariter privilegiatum; eoquod inter jura sibi resistentia debeat dari sistentia, ne alioquin evadat species belli ex utrâquè parte iusti. WOREL l. V. decret. tit. 33. sect. 3. n. 11. Habetur id expressè in authent: de sanctis Episcopis. §. sed hæc præsentis, & in l. verum, cum legibus seqq. ff. de minoribus. ubi dicitur: quod privilegium habens non utitur eo, contra habentem idem privilegium.

§. V.

Objectiones residuæ diluuntur.

II7. OBJICIES 3tiò; S. AVGVSTINVS Institutor *Canonicorum Regularium* fuit Episcopus, & Magnus Ecclesiæ Doctor, ergo dignior Abbate, qualis fuit S. BENEDICTVS, ergo Ordo *ejus* est dignior *hujus*, ergo debetur illi præcedentia.

Resp. I. N. *Suppositum*, sc. S. AVGVSTINVM fuisse *Ordinis Canonicorum Regularium*

rium institutorem, uti probatum *supra n. 39. & seqq.*

Resp. 2. Concessis aliis, transmissâ illâ parte antecedentis, & primâ sequelâ, N. 2dam & 3tiam: dignitas enim instituentis Ordinem, & tradentis regulam non favet Ordini, in ordine ad præcedentiam, nec majorem confert dignitatem, aliàs tam *Canonici Regulares Ordin. s. AUGVSTINI*, quàm *MONACHI BENEDICTINI* dignitate excederentur â *Præmonstratensibus*, & nobis omnibus præstantiores forent *Carmelitæ*, Observatores regulæ ab *ALBERTO Hierosolymitano* Patriarchâ compositæ, cùm *ALBERTVS* suo Patriarchatu & *s. AUGVSTINVM* Episcopum, & *s. BENEDICTVM* Abbatem dignitate superet. Principium Juris universaliter receptum est: *duabus qualitatibus concurrentibus, illam, quam Jura non considerant, nec curant, virtualiter non esse, vel ita se habere, quasi non esset in rerum naturâ*: sed ista qualitas vel Episcopi vel Patriarchæ instituentis Ordinem, vel præscribentis regulam, non attenditur in Jure, sed antiquitas & finis institutionis: Ergo

II8. OBJICIES 4tò. *Canonicus* præcedit
MONACHVM, *Religiosi Ord. s. AVGVST.*
sunt *Canonici*. Ergo

Resp. D. *Canonicus* sæcularis Ecclesiæ
Cathedralis præcedit Monachum *simpli-*
cem C. Regularis, subdistinguo, præcedit
Monachum Laicum, & non æquè *Canonicum*
& *Clericum C.* æquè CANONICVM &
CLERICVM. N. BENEDICTINOS æquè
ac Ordinis s. AVGVSTINI Religiosos es-
se *Canonicos Regulares*, probat CORBIN.
KHAMM. p. 1. *Hierarch. August. fol. 20.* &
colligitur ex dictis c. 2. Et refert P. EGGER
in idea Ordinis HIERARCHICO-BENE-
DICTINI, ab ANASTASIO Romanæ Ec-
clesiæ Bibliothecario BENEDICTINOS
nuncupatos *Monacho - Canonicos*; dein ab
ipso Concilio Augustodunensi sub LEODE-
GARIO Episcopo & M. BENEDICTI-
NORVM Ordinem *Canonicum* appellari
CANONE XV. sic audiente: *de Abbati-*
bus verò, vel Monachis ita observare convenit,
ut, quidquid Canonicus Ordo, vel regula s. BE-
NEDICTI docet, & implere & custodire in
omnibus debeant &c. sic & LEONARDVS
VAIRVS BENEVENTANVS SS. Theolo-
giæ Doctor in libris de Fascino, *Canonicus*
Regu-

Regularis Ord. s. BENEDICTI apertè scribitur. Accedit, quod *Canonici Regulares* dicuntur tales à regula, græcè *κανόν*, uti fatetur ipse COMMENTATOR l. *supra* c. 2. §. 4. n. 86. cit. HUGO à S. VICTORE in eandem regulam in initio sic dicens: quod nos dicimus regulam, græci canon appellant, unde etiam græco nomine canonici, id est, regulares appellati sunt hi, qui in Monasteriis constituti, juxta regularia præcepta SS. Patrum Canonicè & Apostolicè vivunt. Atqui etiam BENEDICTINI vivunt secundum canonem, seu regulam in Monasteriis &c. ergo & ipsi æquè sunt *canonici regulares*, ac *Augustiniani*.

119. DIXI: *Ecclesiæ Cathedralis*; inter *Canonicos enim Cathedralis Ecclesiæ* (ait M. ANTON. BVRGHESIVS apud TAM-BVR. tom. 1. disp. 25. n. 240.) & alios *Ecclesiæ inferioris*, magna est differentia, & ideo ratione Capitis, quod est Episcopus, à quò membra separari non possunt, *Canonici in Cathedralibus sunt in dignitate.* Dom. in c. *quamvis* §. *quanquam*. ver: nota tertio, de præb. l. 6. Doct. & ibi post alios FELIN. in C. *Pastoralis*, de offic. deleg. trad. Sarn. in C. *statutum*, n. 18. de rescript. l. 6.

NON

non autem alii, sed sunt simpliciter Clerici, simplex verò Clericatus nullum Jus confert ad præcedentiam. VIRGIN. *Sect. 3. n. 26.*

DIXI 2. Monachum simplicem; Abbas enim sine dubio præcedit quemcunque Canonicum, etiam Prælatum Episcopo inferiorem; Abbatialis enim dignitas inter alias Ecclesiæ dignitates post Episcopalem immediatè præfulget. *c. ut Apostolicæ de privil. in 6.* ita docent omnes cum FERRO *q. 1. de præced. n. 9.* TAMBVR. *tom. 1. disp. 25. q. 3. § 4.* RICCIO *part. 4. resol. 392. § 394.* BORDON. *theatr. præced. § major. n. 495.* Intellige, si Canonici Ecclesiæ Cathedralis non sint Capitulariter vel processionaliter congregati, tunc enim cedit Abbas, ut nempe membra à Capite vel Episcopo non separentur, juxta *cap. omnes 1. dist. 12. cap. celebritatem 22. dist. 3. de consecrat.* proceditquè hoc, quandocunque Dignitates & tales Canonici incedunt Capitulariter, vel sunt in Capitulo, sive præsens sit Episcopus, sive absens, aut mortuus, quia illius semper sunt membra, nec desinunt esse talia per illius mortem, cum non attendatur persona, sed digni-

gnitas, quæ nunquam moritur. BORDON.
l. c. n. 497. nisi fortè speciale jus habeat
Abbas cum suo Monasterio, de quò pau-
lò post.

120. DIXI Tertiò, Regularis, N. ” quan-
do enim (ait VIRGIN. muren. verm. Sect.
” 3. n. 27.) in uno subjecto inveniuntur
” duæ qualitates unitæ, necesse est unam
” determinari seu contrahi ab alterâ, nem-
” pe â majori seu potentiori, ut videmus
” in naturalibus; unde, quia *Augustiniani*
” ajunt, se duplici præditos, Clericatûs sci-
” licet & Religionis, necesse est, alterutram
” determinari & contrahi ab alterâ, seu
” unam trahere ad se aliam, nempe po-
” tentiorem, quæ sine dubio est Religio-
” nis propter vota, & sic tanquam Reli-
” giosi seu *Regulares* debebunt cedere BE-
” NEDICTINIS antiquioribus & possi-
” dentibus. Quod si econtra velint il-
” lam utramque qualitatem in suis perso-
” nis distinguere, ac quamlibet per se con-
” siderare, nihil evincet; quia tanquam
” *Regulares* debebunt, ut jam dictum est,
” cedere; tanquam Clerici verò longè in-
” ferius descendere, nempe infra Paro-
N chos

„chos & Clericos Parochiarum, utpote,
„quà tales, illis inferiores. Ita VIRG.

121. DICES. Canonici ex vi hujus tituli, & per necessariam consequentiam debent præcedere Monachos, quia plus est, esse *Canonicum*, quàm *MONACHVM*.

Resp. Cùm *VIRGIN. l. c. n. 29.* non possit se semper ex majori titulo argui Jus ad præcedentiam, nam plus est, esse Archipresbyterum, quàm Archidiaconum, quia character hujus dignior & nobilior characterè illius, & tamen in Jure Archidiaconus præfertur Archipresbytero propter alias qualitates speciales, ratione quarum judicatur major. Ita à pari, quamvis *Canonicatus* videatur primâ fronte major *Monachatu*, non tamen sequitur, *Canonicos* quoscunque debere semper præcedere quoscunque *Monachos*, unde in superioribus notavi, *BENEDICTINOS* alicubi ire in processione cum *Canonicis* etiam *Ecclesiarum Cathedralium*, alibi eos præcedere, & alibi eorum corpora dividere, nimirum propter prærogativas tum generales sui Ordinis, tum speciales, quas habent in singulis locis, & quæ reddunt eos, seu eorum

rum Ecclesias magis considerabiles. A[“]
 titulo igitur malè arguitur ad præceden-[“]
 tiam, nisi titulus fulciatur aliis circum-[“]
 stantiis, quæ tribuant jus ad illam. Quod[“]
 vel maximè verum est in nostra causa, &[“]
 respectu *Augustinianorum*, qui, licet sint[“]
Canonici, non tamen absolutè, sed *Regula-*[“]
res, & in quibus, quia Clericatus deter-[“]
 minatur & contrahitur à Religione (ut[“]
 in superioribus dictum est) ideo frustra[“]
 suum titulum allegant, & locum præce-[“]
 dentiaè petunt, cum in rei veritate non[“]
 ut *Canonici*, sed ut *Regulares* debeant ju-[“]
 dicari.[“]

122. Dixit VIRGIN. in superioribus no-
 tavi &c. nempe eadem Sect. n. 5. ubi di-
 cit: " Sic v.g. in Ecclesiâ *Toletanâ*, si Ab-[“]
 bas s. *BENEDICTI* de *SAHAGVN.* adsit,[“]
 accipit locum inter Dignitates, Mona-[“]
 chis verò ejusdem Monasterii interes-[“]
 sentibus officiis divinis datur distributio,[“]
 sicut *Canonicis*, ut notat *YEP. Cent. 1.*[“]
an. 554. c. 5. in impressione gall. *MONA-*[“]
CHI verò *CASSINENSES* præcedunt[“]
Canonicos suæ urbis s. *GERMANI*; Mo-[“]
 nachi s. *CRVCIS BVRDIGALÆ* neque[“]
 præcedunt *Canonicos* Ecclesiæ Metro-[“]

„politanae, neque ab his praeceduntur,
 „sed de pari incedunt in processione, unus
 „Monachus cum uno *Canonico*. At Mo-
 „nachi S. EUTROPII apud XANTON:
 „ipsum Clerum Ecclesiae Cathedralis di-
 „vidunt, & incedunt medii inter *Canonicos*
 „& *Mansionarios* Parochos, seu alios Cle-
 „ricos inferiores.” Hæc VIRGIN. Ad-
 do istis BENEDICTINOS *Padibornenses*
 Monasterii SS. *Petri & Pauli*, qui in publi-
 cis processionibus, totâ spectante & co-
 mitante Civitate, praecedunt *Canonicos*
 Ecclesiae Cathedralis; hęc enim ordine
 incedit omnis Clerus: infimi sunt FF. *stri-*
ctioris observantiae, ibidem Juniores, istis
 succedunt FF. *Capucini*, *Capucinis* Vicarii
 Ecclesiae Collegiatae *Busdorffianae*, his Vi-
 carii ædis summæ, Vicariis *Canonici Bus-*
dorffiani, his *Canonici Ecclesiae Cathedra-*
lis, quibus succedunt *Monachi* BENEDI-
 CTINI dicti Monasterii.

123. DICES. *Canonici* sunt DOMINI,
 MONACHI non sunt DOMINI; ergo si-
 gnum est, quod hi non sint tantæ digni-
 tatis.

Resp. I. BVSCHIVS in *chron. Windesem.*
 l. 2. in *lib. de reform. monast.* passim suos
 Cano.

Canonicos Regulares, imò ipsos Priores seu Præpositos FRATRES vocat.

Resp. 2. BENEDICTINI & *Canonici Regulares* æqualiter sunt DOMINI, tum ob Clericatum per se, tum ob dominium in communi. Unde HÆFFTENVS l. 3. disq. monast. tr. 4. disq. 4. fol. 304. refert, CASSINENSES ita declarasse: ex antiquâ nostrâ consuetudine, ad differentiam Mendicantium, Monachos nostros appellamus DOMNOS, sed affectu FRATRES. Ita consueverunt & *Hispani, & Lusitani, & Gallici*, adde, & *Angli*. CASSINENSES in professione sic legunt: Ego DOMNVS N. promitto &c. dicitur DOMNVS, ob causam indicatam hõc versu antiquo:

Cælestem DOMINVM, *terrestrem* dicitur DOMNVM.

124. DICES Iterum: *Canonici Regulares* possunt petere præcedentiam ratione dignitatis suarum Ecclesiarum, quod sint Collegiatae.

Resp. Etiam *Monachorum* Ecclesiæ sunt collegiatae (ut dictum supra c. 2. §. 4. n. 90.) sicut post Episcopum non est dignitas major Abbatiali, sic post Ecclesias Cathedralis

les non sunt digniores Abbatialibus. VIRGIN. ALVISET *mur. vermic. Sect. 3. c. 21. n. 25.* & sic ipsi Abbates cum suis Monachis debent poni in loco digniori; cum ipse sit Caput, & Monachi membra, *cap. novit. extra, quæ fiunt à Prælati sine cons. cap.* Et membra à capite discedere non debent. *d. c. novit. § l. cum in diversis, ff. de relig. § sump. fun.* Sed caput suum sequuntur, *cap. non liceat, in princ. de præscript.*

125. INSTABIS. Etiam Canonici Regulares habent Abbates. Resp. Cum CAMPEGIO & GALLESIO apud TAMBVR. *disp. 25. n. 261.* „non habent propriè, sed „impropriè, dico ego, dispensativè, quia regula eorum nullibi eis dat Abbatem, sed „Præpositum sive Priorem; BENEDICTI „autem regula dat propriè Abbates. *arg. „l. 1. ff. si ager vect. § paulò post:* itaque, „cum ex proprietate regulæ suæ non habeant Abbates, remanet, quod, quatenus illos habent, non possint illos habere, nisi ex privilegio Apostolico, quod, si non exhibeatur, non præsumitur; & „omnino, etiamsi exhiberent privilegium, „essent postponendi Abbatibus CASIN. „(BENEDICTINIS) quoniam essentia & pro-

proprietas præfertur accidenti & privi-
 legio, ut habetur in *l. qui habet, ff. de tutel.*
 & quòd nomen Abbatis non conveniat
Canonicis Regularibus ex proprietate re-
 gulæ, probatur non solum autoritate
 INNOCENT. in *c. cum illorum, de sent. ex-*
com. ubi dicit, *Canonicos Regulares* habe-
 re *Priores*, non Abbates, & cum eo con-
 cordat JOAN. ANDR. ubi in *gloss. in vers.*
Abbatum, sed etiam ex *can. 1. 19. q. 3.* ubi
 ALEXANDER Papa dicit, nullus Abbas
 vel Monachus *Canonicos Regulares* à pro-
 posito suæ Religionis abducere &c. &
 in multis aliis locis, in quibus probatur,
 Abbatem esse nomen correptivum Mo-
 nachorum, & è contra, non est nomen *Ca-*
nonicorum Regularium, qui, ut præfertur,
 non habent Abbates, nisi fortè ex privi-
 legio, vid. *l. c.* Adde, *Windesemenses* ne-
 que ex regulâ, neque ex statutis habere
 Abbates, sed ex regulâ *Præpositos*, ex statu-
 tis *Priores*.

Ea, quæ contra dignitatem Abbatialem
 COMMENTATOR fol. 140. 141. 148. dica-
 culè oggerit, sufficienter confutata cum
 rubore legent DD. *Canonici Regulares* apud
 CORBIN. KHAMM p. 3. *Hierarch. AV-*

G V S T. *relat. 2. n. 297. & seqq.* hinc & ego ista cum dignâ responsione huc referre erubesco.

126. COLLIGES. COMMENTATOREM *fol. 75.* vanè gloriari, quòd in controversia Juris præcedendi, inter *Canonicos Regulares* & BENEDICTINOS semper, & coram omnibus tribunalibus palmam retulerint *Canonici Regulares*: „ Nam sententias suas habent *Canonici Regulares*, habent & BENEDICTINI suas. Ejusmodi factorum discussio à tot circumstantiis pendet, ut volenti expendere, innumeræ essent difficultates exhauriendæ. „ Poterant subesse causæ particulares, ob quas *Canonici Regulares* certo loco Abbatiaë alicui BENEDICTINÆ præferantur, & contra alteri Abbatiaë ejusdem Ordinis in eodem, vel alio loco cedere jubebantur. Nolumus aliò exemplò, quàm *Valencenæ Urbis* fidem implorare. *Canonici Regulares* s. JOANNIS ejusdem Urbis, decreto Senatûs *Mechliniensis* contra Abbatiam s. SALVII, propè ejus urbem sitam, ferunt se effecisse priorem locum: interea iidem *Canonici Regulares* non turpe sibi ducunt, locò
ce-

cedere Abbati *Hamonienſi*, ejuſque Mo-
nachis noſtri Ordinis in *Præpoſitura B.
M. V. Valencenæ*, ubi in publicis con-
ventibus tanquam in Principe totius Ur-
bis Eccleſiâ Hymnus Ambroſianus con-
cinitur.“ MABILLON *in repl. fol. 55.* Sic
in aliis fortè locis aliæ poſſunt ſubefſe
cauſæ, quare alicui Monasterio *Canonico-
rum Regularium* præ aliquo BENEDICTI-
NORVM debeatur præcedentia, unde non
fit conſequentia generalis.

Quamvis autem (dicit iterum MABIL-
LON *l. c.*) in quibusdam ſententiis pro-
nuntiatis Judices reſpexiſſent ad ſenten-
tiam à PIO IV. datam, dici tamen nequit,
eam unicum fundamentum, cauſamquè
ſimilium ſententiarum fuiſſe, cùm in ipſâ
Italiâ & Romæ nemo dicat, illam cui-
quam favere, quàm Congregationi Late-
ranenſi.

§. VI.

Specialiter de præcedentia in Diſpu-
tationibus.

127. Ne quid deſit huic opellæ, & ſcru-
pulus quiſpiam maneat inextricatus, ſpe-

cialiter moveo hanc quæstionem de præcedentia in congressibus literariis, quæ huic meo labori occasionem dedit; quamvis enim ex dictis, hæc quæstio suô videretur donata responsô, poterit tamen quis cum PELLIZARIO contradicere, & in istis congressibus præcedentiam aliunde petere; quare

DICO: BENEDICTINI de Jure in Disputationibus præcedunt *Canonicos Regulares* Ord. s. AVGVSTINI.

Probatur. In Disputationibus de Jure præcedunt illi, qui sunt antiquiores, sed BENEDICTINI sunt antiquiores *Canonicis Regularibus* Ord. s. AVGVST. uti probatum c. 1. ergo BENEDICTINI de Jure præcedunt *Canonicos Regulares* Ordinis s. AVGVSTINI. Maj. patet ex illo naturali, Canonico, & legali axioma: *qui prior est tempore, potior est Jure.* Ex quô efficacissimum hujus præcedentiæ desumitur argumentum, docente BORDONO *Theatr. præced. n. 420.*

Si Resp. cum PELLIZARIO in *man. reg. Tract. 8. c. 6. n. 204.* qui sunt antiquiores quoad suam originem N. quoad interveniendum congressibus literariis C. Vult

PEL-

PELLIZARIUS S. J. illos Religiosos aliis præferendos in congressibus literariis, qui prius habuerunt scholas, & prius cœperunt intervenire in Disputationibus.

128. Sed CONTRA est Imò. Causa intrinseca & per se respicienda est, non quæ est extrinseca, & per accidens, seu accidentalis, *l. qui habent, 3. ff. de tutelis.* CLEM. II. *de sepult. in fine casus.* & in materia præcedentiæ, TAMBV. *tom. 1. disp. 25. q. 1. n. 90.* addo, quòd intrinseca præfertur extrinsecæ; sed prioritas institutionis & confirmationis est causa intrinseca, cùm nulla Religio subsistat sine suâ institutione & approbatione Sedis Apostolicæ, uti nemo dubitat. Erectio autem scholæ in Religionibus est causa extrinseca, & per accidens, cùm Religiones sine scholis existere possint, & alias extiterint, ergo præcedentia non ab erectione scholarum, sed ab approbatione Religionum est accipienda. BORD. *l. c. n. 429.*

129. 2dò. Quia unaquæque Religio non habet Scholam, saltem celebrem, ergo à schola non est mensuranda præcedentia, sed ab aliquo alio titulo, qui sit communis Religionibus, secundum prius & posterius,

rius, ut inde deduci possit præcedentia, consistens in dispositione inæqualitatis prioris & posterioris, & directè excludit simultatem, *l. quidam, ff. de pecul. legat.*

Insuper Scholæ Religionum aliæ sunt publicæ in Universitatibus extra Claustra, & non tantum intra, ut *Magistri Sentent. D. THOMÆ & SCOTI*, aliæ quasi privatæ, & intra Claustra, ex qua Diversitate non potest sumi certa regula Juris præcedendi. *BORD. Decis. miscell. de præced. Canon. Lateran. n. 16. qui n. 17. sic pergit.* „ P A-
 „ TRES S. J. ex instituto publicas habent
 „ ferè ubique scholas, qui tot scientiis &
 „ doctrinis universum orbem continuè
 „ cum novis speculationibus & distinctio-
 „ nibus verè illustrant, ut in eorum libris,
 „ qui quasi innumerabiles sunt, videre li-
 „ cet, & tamen sine altercatione aliquâ,
 „ nec tacitâ conquestione quærunt in Di-
 „ sputationibus locum digniorem, Nec pri-
 „ mos accubitus, contenti sorte suâ, coete-
 „ ris Regularibus, se antiquioribus ultrò
 „ cedunt locum; argumentum irrefraga-
 „ bile, quod titulus scholæ in Disputatio-
 „ nibus non tribuit locum, aliter olim pro-
 „ curâssent hunc honorem, si illis de Jure
 de-

„debitus esset.“ Ita ille. Quem autem & aliàs secundum antiquitatem sui instituti inter *Mendicantes* Ordinem habeant PP. S. J. docet idem BORDONVS *Theatr. præced. n. 408.* Uti & novissimè observatum est in CONC. ROMANO celebrato anno 1725. sub SSmo Domino nostro BENEDICTO XIII. ubi *Theologi S. J. Theologis Ord. Præd. Ord. S. Francisci; Ord. Eremit. s. AVGVSTINI. Ord. Carmelit. &c.* concessêre præcedentiam.

130. 3tò. Quia PIVS IV. in BVLLA in favorem Lateranensium emanatâ, titulô antiquitatis existimatæ, illis adjudicans præcedentiam, dicit: *in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis.* Ubi ponderandæ sunt illæ tres particulæ: & *omnibus aliis.* nam copulativa ET. refert alia diversa â præcedentibus, *l. habet tamen adjectio, ff. de leg. 3. gl. V. & rectoribus. extrav. Joan. 22. ad conditorem, de verbor. signif. ea universalis, omnibus, omnem actum capacem præcedentiæ includit, ad tradita per Doctores in l. JULIANVS 66. ff. deleg. 3. c. Romanorum 1. dist. 19.* Et tantæ est efficacisë, ut tantum operetur, quantum si singuli actus in individuo, & in terminis

minis suis numerati fuissent, *gl. in l. omnes*
§. de præscript. 30. ann. BURSATIVS vol. 4.
cons. 364. n. 14. M. Ant. l. 1. resol. 81. n. 12.
 Unde in *l. non distinguimus 37. §. cum in plu-*
res, ff. de recept. arbitr. Ea dictio vocatur
 collectiva, virtute colligens omnes actus,
 ac si eosdem nominatim expressisset.

Dum ergo dicitur: *in omnibus actibus,*
 id est, ac si etiam dixisset: etiam in *Dispu-*
rationibus. Adde, quòd processiones
 omnes dicuntur solemnes, vel saltem pu-
 blicæ, & nunquam privatæ, ergo præter
 processiones & alios actus ad eas spectan-
 tes in istâ *BVLLA* comprehenduntur alii
 quoque actus ab illis diversi (dictio enim;
aliis) denotat actus diversos ab expressis
 antecedenter. *ROTA part. 1. decis. 254.*
GONZAL. ad reg. 8. Cancell. gl. 49. n. 2.
GIVRBA cons. 99. n. 30. SOCIN. JUN. vol. 2.
consil. 300. col. 3. CORNEVS l. 1. consil. 5. n. 3.)
 consequenter etiam actus disputationis,
 non enim est major ratio de aliis diversis
 à processionibus, quàm de actibus dispu-
 tationis, qui sunt capaces præcedentiæ,
 & publici; ergo ab antiquitate Ordinis in
 congressibus literariis desumendus est or-
 do præcedentiæ.

131. Sed & hōc datō, scilicet præcedentiam in Disputationibus desumendam esse ab antiquitate & titulo scholæ; equidem exinde BENEDICTINIS deberi præcedentiam, evinco hōc modō: Ante sæculum undecimum, consequenter ante ortum *Canonicorum Regularium*, imò jam ab anno 792. BENEDICTINI habuère scholas, tam publicas, quàm privatas; nam uti PANCIROLVS de *claris legum interpretibus* l. 4. de *Academiis Europæ* refert Cap. 5. apud BORD. *Theat. præced. n. 431.* “*Parisiense studium à CAROLO M. suadente ALCVINO ejus Præceptore, & BEDÆ Discipulo Canonicis Regularibus (non s. AVGVSTINI, sed s. BENEDICTI, verè enim fuère BENEDICTINI) institutum fuisse anno 792. ubi primò duo alii Monachi ex Hiberniâ, eruditi in sacris & profanis literis docuerunt, unus nomine CLEMENS ibidem, alter JOANNES Scotus Papiæ in Cœnobio s. AVGVSTINI juvenes instruxit, & ROMÆ tum temporis ALCVINVS docebat. Ergo necesse est, quod tunc temporis daretur congressus literarius, aliter inutiles & infructuosæ fuissent illæ scholæ, si hoc exercitio caruis-*

„ruissent, sine quô scholæ conservari ne-
 „queunt. Vigebant ergo & tunc Dispu-
 „tationes & Congressus literarii, imò na-
 „ti sunt cum Ecclesiæ: lege acta Apосто-
 „lorum, ubi invenies *cap. 6. quosdam de sy-*
 „*nagogâ disputasse cum STEPHANO, & non*
 „*potuisse resistere sapientiæ illius.* De Apo-
 „stolo *ibid.* multis in locis dicitur, dispu-
 „tasse acriter cum Judæis & aliis, qui cum
 „eo altercabantur. Ita BORD. *l. c.* qui n.
 „428. sic habet.

132. MONACHI S. BENEDICTI mul-
 „to tempore ante *Mendicantium Ordines,*
 „& in multis Conciliis locum habuerunt
 „in disputationibus fidei, ut patet legenti-
 „bus singularum Synodorum acta; ideò
 „meritò illis debetur præcedentia in his,
 „non solùm illò generali titulò institutio-
 „nis Ordinis, verùm etiam ex titulo la-
 „boris intellectivi in Conciliis generali-
 „bus, & aliis Congregationibus, quibus
 „interfuerunt, suam doctrinam commu-
 „nicantes fidelibus, & contra hæreticos
 „defendentes fidem Catholicam & SS.
 „Patrum. Adde, quòd illis non desit pro-
 „pria schola, cujus Princeps fuit GRA-
 „TIANVS, gente *Etruscus,* patriâ *Clusinus,*
 qui

qui Theologiam BONONIÆ docuit in
 Cœnobio s. FELICIS anno 1151. & De-
 cretum Juris Canonici in unum volumen
 exaravit. Fuit ergo Theologus & Ca-
 nonista celeberrimus Ord. s. BENEDI-
 CTI, merentur ergo ejus alumni, & ejus-
 dem Ordinis Professores honorabilio-
 rem locum in Disputationibus infra
 Canonicos Lateranenses (*quibus solis ob-*
BVLLAM PII IV. præcedentiam super BE-
NEDICTINOS concedit BORDONVS)
 nec urget, quod ajunt aliqui, non inve-
 niri ejus scripta Theologica, nec proinde
 habere scholam & sectatores; nam suf-
 ficit, quod docuerit, & Jus hoc præce-
 dendi sibi, suisquè acquisierit. Præter-
 quàm, quod nemo negare potest ejus
 scholam in sacris Canonibus ex Decreto,
 per ipsum tanquam Authorem Compi-
 latorum denominato GRATIANI, ergo
 saltem ex hoc capite remanet ejus schola
 in viridi observantiâ. Huc usque BOR-
 DONVS *l. c.*

133. Ante CAROLI M. tempora nul-
 læ erant Academiæ, quales modò, sed in
 BENEDICTINORVM Monasteriis suas
 habebant sedes, omnis Musarum tam man-

O

sue-

fuetiorum, quàm, severiorum chorus, uti clarissimi METZGERI testantur in historiâ *Salisburgensi*. Fuit tempus (ait MATTH. STEPHANI tom. 1. *discuss. Academ. disc. 4.*) cum ferè, quidquid in orbe terrarum eruditionis esset, & reconditæ sapientiæ, id omne Monasteriorum claustris contineretur. Testatur idipsum de BENEDICTINIS HYACINTHVS de GRAVESON *histor. Eccles. tom. IX. p. 136. & 137.*

GONSALVUS ILLESCAS l. 4. *Hist. pont.* sic loquitur: “tum temporis omnia
 „cœnobia fuisse Gymnasia, & omnia
 „Gymnasia Cœnobia; nec enim ullum
 „tunc publicum in GERMANIA, GALLIA,
 „& ANGLIA erat, ut modò Universita-
 „tum aut Academiæ studium, præter Ro-
 „manum, Parisiense, Papiense, nostris (BENE-
 „DICTINIS) demùm Authoribus fundata.
 „Sic & FLORENTINA Universitas
 „nostro CLEMENTI VI. & ERFORDIA-
 „NA SAN-GALLENSIBVS, unde trans-
 „lata fuit, in acceptis referuntur; DVA-
 „CENSE Gymnasium perquàm magnifi-
 „cum extruxit ARNOLDVS Abbas *Mar-*
 „*chianensis*; *Magdeburgenses* scholas erexit
 „S. ADALBERTVS, & *Oxinensem* Acade-
 miam

„miam in ANGLIA NEOTVS, qui Mu-
 „fas, quas DANORVM crudelitas penè
 „extinxerat, in ANGLIA restauravit.” uti
 refert P. EGGER. *Id. Ord. l. 1. fol. 192.*

R. P. JOANNES DOMINICVS MV-
 SANTIVS S. J. in *Face Chronologicâ tabu-
 lâ 4.* sic scribit: “Sæculo 700. & 800.”
 BEDA VENERABILIS, ejusquè Discipu-
 lus ALCVINVS Grammatica scribunt.”
 RHABANVS, MAVRVS, HILDVINVS
 Abbas, Oratores, Poëtæ. BEDA Philo-
 sophiæ 4. libros scripsit. ALCVINVS
 FLACCVS, & JOANNES Scotus, BEDÆ
 Discipuli, Philosophiam in Academia Pa-
 risiensi professi sunt, & in omnem ferè
 EVROPAM propagata est. Quod specia-
 liùs ALCVINVM concernit, est, quod
 ipsum Parisiensis Academia in GALLIA,
 Patavina, Papiensis, Bononiensis, in ITALIA,
 Eboracensis, & Cantabrigiensis in ANGLIA
 sui Authorem venerantur.” Verè à BE-
 NEDICTINIS publicas olim scholas pri-
 mitùs erectas fuisse, novissimè testatur AN-
 TONIVS GVILIELMVS ERTELIVS Jur.
Licent. in Atlante Bavarico part. 2. p. 310.

134. R. P. RIBADENEIRA S. J. scri-
 ptor celeberrimus in *vitâ S. IGNATII l.*

3. c. 23. sic habet. "DIVUS BENEDICTVS
 „ Monachorum in Occidente Parens pue-
 „ ros in cœnobiis educabat, informabat-
 „ què ad pietatem (in eum ferè modum,
 „ quò SOCIETAS NOSTRA quibusdam
 „ in Collegiis separatim nunc facit) sic
 „ PLACIDVM & MAVRVM, puerulos à
 „ BENEDICTO receptos legimus, & in
 „ omni genere virtutum excultos, atque
 „ perfectos. Quæ consuetudo diu postea
 „ tenuit: nam D. GREGORIUS Anglos
 „ pueros magnâ diligentiam conquiri Jube-
 „ bat, & in sui Ordinis Cœnobiis ali, atque
 „ educari. Et D. THOMAS AQUINAS
 „ longò post tempore in CASSINENSI
 „ Monasterio à puero institutus est. Ne-
 „ que verò pueros fingeant MONACHI
 „ S. BENEDICTI ad omnem tantummo-
 „ dò Virtutis laudem, sed etiam Disciplinis,
 „ & in omni scientiarum genere instrue-
 „ bant. Nam & in GERMANIA, & in GAL-
 „ LIA, & in ANGLIA magnâ cum laude do-
 „ cuerunt, Authore & Principe hujus in-
 „ stituti, VENERABILI BEDA, qui ante annos
 „ 800. in ANGLIA docuit, & scholæ præ-
 „ fuit, in cujus locum postea successit AL-
 „ BINVS CAROLI M. Præceptor, & in
 locum

locum ALBINI, RHABANVS Abbas Ful-
 densis, qui postea etiam Archiepiscopus
 fuit Moguntinus, & MONACHI S. BENE-
 DICTI Collegia (quemadmodum nos
 nunc habemus) habuerunt, in quibus
 docebant, sc. quæ nos docemus, ut vi-
 dere est apud JOANNEM TRITHE-
 MIVM Monachum, & Abbatem ejusdem
 Ordinis, qui rem totam diligentissimè
 persequitur. Atque eâ re tantopere flo-
 ruit Ordo S. BENEDICTI, & Sanctissimis
 Doctissimisque viris abundavit, quorum
 doctrina universam Ecclesiam illustravit
 hætenus Ribadeneira.

135. JOANNES MARIANA apud BV-
 CELINVM *annal. BENEDICT. p. 2.* sic lo-
 quitur: "Antiqua BENEDICTINORVM
 præsertim Monasteria scholæ publicæ
 erant, ad Juventutem erudiendam à vi-
 ris sanctissimis constitutæ, unde haud
 levis publica utilitas extitit: ipsi ma-
 gnis divitiis atque ingentibus creverunt,
 omnibus certatim piorum conatus ju-
 vantibus re, operâ, consilio. Ex iis
 Monasteriis, velut ex arce sapientiæ, in-
 numeri viri prodiêrunt, utriusque philo-
 sophiæ cognitione præstantes, divinæ

„atque humanæ, ut editi eo tempore, ab
 „eâque natione hominum libri multi &
 „excellentes, in suo quivis genere miran-
 „di argumento sunt.” Idem habetur apud
 AVBERTVM MIRÆVM l. 2. c. 1. orig. monast.

HÆFFTENSIS l. 9. disq. monast. tr. 2.
 disq. 4. “Nostris (inquit) omnis generis li-
 „bros, tum sacros, tum profanos, quin
 „ipsa Biblia ab interitu vindicârunt; in
 „unâ Bibliothecâ, sanctissimô PATRE
 „NOSTRO vix mortuô, reperta sunt
 „6700. volumina Manuscripta à MONA-
 „CHIS. FULDÆ sub Abbate primo fue-
 „runt 400. Monachi, omnes occupati
 „conficiendis libris.

136. Celebris quidam SS. Theologiæ
 MAGISTER ex Ord. Prædic. in suâ pane-
 gyri de S. P. BENEDICTO sic loquitur:
 „BENEDICTVS noster per SVOS surgen-
 „tes hæreses delevit, & scriptorum illu-
 „strium plûs, quàm millia quindecim suo
 „ex Ordine concitavit; ILLE per SVOS
 „Bibliothecas, scholas, Academias florere
 „fecit, ut Ecclesia floreret. In solis HV-
 „JVS Monasteriis Academia & schola
 „tantâ cum laude stetit, ut intra Cœno-
 „bii tantùm unius parietes aliquando
 qua-

„quatuor millia studiosorum erudirentur.

„Assentitur nempe (ait EGGER in *Id. Ord. fol. 190.*) TRITHEMIO, qui in *Chron. HIRSAVG.* cathalogum benè longum exhibet Doctorum, in solo HIRSAV-
GIENSI Asceterio florentium, & porrò refert, in prædictis Monasteriis extitisse semper studiosorum REGENTEM unum (quem ipse SCHOLASTICVM vocat) cui cœteri disciplinarum cultores parebant, eorumquè ipse scripta corrigebat; qui SCHOLASTICI titulus in pluribus etiamnum viget Cathedralibus Ecclesiis, iis præsertim, quarum Canonici BENE-
DICTINI in sæculares migrârunt.”
MEIBOMIVS in *Chron. Riddagsbusensi l. supra n. 20. citatô* dicit: „Qui inter Canonicos præ reliquis doctrinæ eruditione & facundiâ pollebat, eum Episcopus Lectorem ordinabat, insignitum honorificâ SCHOLASTICI appellatione, quæ cum dignitate conjuncta, in Ecclesiis Cathedralibus adhuc perdurat, etsi officii cura nulla &c.

137. Prædicta omnia suô confirmat suffragiô JOANNES à BOSCO in annot.

ad vitam S. ABBONIS c. 1. ita differens:
 „Scholæ quondam adeò insignes atque
 „celebres in Cœnobio FLORIANCENSI
 „habebantur, ut SCHOLASTICORVM
 „plùs, quinque millibus recenserentur.
 „Hi Didasculis suis, muneris honorarii
 „gratiâ, pro candelis, Edictisve in *Parisiensi*
 „Academiâ, nostrâ ætate, Classium Mo-
 „deratoribus exhiberi consuetis: bina
 „MSta (eò quod necdum typographica
 „ars emerferat) offerebant volumina,
 „quorum numerositas locupletissimam
 „*Floriancensem* conflârat Bibliothecam.”
 Hæc ille.

Sic â veritate alienum non est, quod
 apud P. EGGER *Id. Ord. l. 1. fol. 174.* eru-
 ditissimus Nonnemo ê nominatissimâ
 SOCIETATE JESV vivâ voce palàm te-
 status est: intra mille scilicet annos tam
 copiosos & utiles libros haud editum iri,
 quot ab ORDINE BENEDICTINO jam
 sint editi; hinc scribi, dicive hac ætate vix
 aliquid posse, quod â NOSTRIS non ab-
 undè scriptum, dictumve fuerit.

138. Omissis aliis sexcentis testibus
 tum alienis, tum domesticis, videatur ite-
 rum Heterodoxus ille HENRICVS PE-
 TREVS

TREVS jam supra n. 20. § 70. cit. sic per-
 gens: "Nimirum Abbates & Monachi
 ,, pietate, & eruditæ doctrinæ copiâ præ-
 ,, stantes inter Clericos cæteros emine-
 ,, bant, eorumquè etiamnum in omni, ut
 ,, loquuntur, scibili, monumenta plura
 ,, perpetuâ posteritatis memoriâ digna ex-
 ,, tant. Necdum Academia tunc per
 ,, GERMANIAS, HISPANIAS, ANGLIAM,
 ,, POLONIAM erat ulla; In ITALIA ve-
 ,, rò una tantum ROMÆ, in GALLIIS CA-
 ,, ROLI M. autoritate & subsidiis institu-
 ,, ta ibidem una LVTETIÆ. Neque ul-
 ,, lum præterea sæculis illis literarum gy-
 ,, mnasium publicum in præmemoratis
 ,, EUROPÆ Regnis extabat. Porro non
 ,, vulgus modò, hominesquè plebei, sed &
 ,, Reges & principes, viriquè nobiles Cœ-
 ,, nobitarum illorum arbitrato, religiosè,
 ,, liberaliterquè educandos liberos suos
 ,, mittebant in illa Monasteriorum *gymna-*
 ,, *sia*, quorum aliqui sub disciplinæ Mo-
 ,, nasticæ regulâ permanentes, in viros
 ,, evadebant tam sanctos, quàm doctos;
 ,, alii à parentibus evocati, strenui Rerum-
 ,, publicarum Administratores, pruden-
 ,, tesquè Curiarum Senatores & Consilia-

„rii fiebant. Quam rem, cum, LANGIVS
 „(Chron. Citizenſi in pr.) pluribus demon-
 „ſtret, non perſequar hîc verbosius, „ ita
 PETREVS.

Consentit MEIBOMIVS etiam *Luthera-*
nus in ſuâ orat. de orig. & officio Cancellario-
rum Academicorum, ubi ſic loquitur. “Im-
 „perator CAROLVS MAGNVS inſtituit,
 „præter Cathedralis Eccleſias, Monaste-
 „ria & Coenobia; quæ tum temporis ni-
 „hil erant aliud, quàm PHRONTISTE-
 „RIA, LAVRÆ & ASCETERIA, ut vete-
 „res nominârunt, videlicet LOCA SA-
 „CRA, in quibus, præter continua pieta-
 „tis exercitia, Juventus veram de Deo do-
 „ctrinam, ſimulquè artes & linguas ne-
 „ceſſarias quotidie addiſceret, ſequè ad
 „operam communi patriæ utiliter navan-
 „dam paratiorem, promptioremquè red-
 „deret. „ Loquitur autem de Monaste-
 „riis BENEDICTINIS, quia paulò poſt ſub-
 „nectit: *ſiquidem hi BENEDICTINI penè ſo-*
li Regnum tenere viſi. Quod & teſtatur
 GRAVESON *hiſt. Eccleſ. tom. 3. pag. mihi*
131. vid. dicta n. 32.

Adſtipulatur CONRINGIVS itidem in
Lutheri caſtris pugil per-celebris, & Histo-
 ricus

ricus non contemnendus, probè advertens, ab anno Christi 600. ad annum usque 900. ex insignioribus scriptoribus effulisse in OCCIDENTE nullum, nisi qui scientiarum radios à sole Clausstralium scholarum hausisset. quos inter numerat SALVIANVM, EVCHERIVM, BEDAM, RHABANVM, MAVRVM, STRABONEM FULDENSEM, HAYMONEM, PASCHASIVM, RATBERTVM, AMALONIVM, HALITGERIVM, *lib. de antiquit. Academicis.*

Nec discordat MARSHAMVS *Anglus*, reformatæ Religionis Scriptor, idcirco etiam minimè suspectus, qui de *Monachismi & Christianismi* incremento sequentia præmisit. "In ANGLIA idem fuit & *Monachismi & Christianismi* initium, & incrementum. AVGVSTINVS (BENEDICTINVS) Monasterii legibus eruditus, ex præscripto GREGORII, instituit conversationem, quæ initiô nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, quibus omnia erant communia &c. MONACHATVS olim maxima pars fuit gentis Ecclesiasticæ; & parietes Cœnobiales diu sanctitatis & melioris literaturæ fuerunt sepes. Ex illo

„illo seminario prodiêrunt ingentia illa
 „Christiani orbis lumina, BEDA, ALCVI-
 „NVS, WILIBRORDVS, BONIFACIVS,
 „alii, ob Doctrinam & propagatam fidem
 „impensè colendi &c.” Apud PAPER-
 BROCH. *part. 2. apol. suæ §. 5. fol. 470.*

139. Nec solum BENEDICTINI ipsi
 scholas instituere, sed & alios quosvis
 Ordines posteriores in erigendis non tan-
 tum habitationibus, sed & scholis ma-
 gno fuerunt adjumento, quod, ut cæteros
 taceam, inclyta illa SOCIETAS JESV sin-
 gulariter est experta, uti gratus agnoscit
 R. P. HENRICVS LAMORMAINIVS, dum
 R. P. LVDOVICI RICHEOMIL *Academiam*
honoris Reverendissimo Dno REYNERO
à LANDAV, Abbati Mellicensi dedicat, inter
 cætera hæc scribens: “Porro erga al-
 „mam tuam, dicamne Matrem, an Reli-
 „gionem? D. BENEDICTI Patriarchæ pro-
 „lem, omni benedictione, cœlesti scilicet
 „& terrestri affluentissimam, ut pro meo
 „modulo gratus sim, plurima, sed potissi-
 „mum tria me movent. *primum* est; quòd
 „nascentem illam, imò & adhuc inter
 „uteri claustra hærentem minimam no-
 „stram Religionem benignissimè excepe-
 rit;

rit; adolescentem autem omni charita-
tis officio foverit, & grandiusculam
jam, & acceptis mediocribus incremen-
tis adultam ita amârit, ac promoverit,
ut Matri similior, quàm sorori possit vi-
deri. Et hinc *2dum* gratitudinis argu-
mentum mihi exoritur, nam non con-
tenta, & Domiciliis SOCIETATIS be-
nefacere, eidem Collegia erexit, & ere-
cta amplissimis censibus annuis dotavit,
ac stabilivit. Atque, ut alia alibi ab eâ
SOCIETATE exstructa Collegia taceam;
me verum dicere testabitur omnium
primò Collegium Duacense, benignita-
te Reverendissimi Domini Abbatis A-
QVICINETINI à fundamento extru-
ctum, & annuis redditibus locupletatum.
2dò AVDOMARENSE, Reverendissimî
D. Abbatis s. BERTINI æquè ac Dua-
cense, à fundamentis erectum, & dota-
tum. 3tiò ATREBATENSE, opus Re-
verendissimi D. Abbatis s. VEDASTI
immortali memoriâ dignum. 4tò
MALMODIENSE, quod Reverendissi-
mus Dominus Abbas LÆSSIENSIS
fundavit, & annuis proventibus sta-
bili-

„stabilivit. Et his quidem Collegiis in
 „GALLO-BELGICA SOCIETATIS pro-
 „vincia, liberalitate, pietate, ac charitate
 „tui similium Ordinis patriarchæ s. BENE-
 „DICTI Abbatum, erectis gaudet SOCIE-
 „TAS. IN GERMANIA autem FULDEN-
 „SI, Reverendissimi, Illustrissimi, ac Piissi-
 „mi Principis ac D. BALTHASARIS Â-
 „DERNBACH, ibidem Abbatis munificen-
 „tiâ ac zelô pietatis extractô ac fundatô.
 „Tertium caput, quod me movet, ut gra-
 „to prosequar animo sanctissimum tuum
 „ORDINEM, sunt, cum alia innumera in
 „universo ORDINE, tum maximè, quæ in
 „oculos incurrunt Cœnobia, D. BENE-
 „DICTO in *Austria*, infra & supra *Onasum*
 „dicata: nec non ea, quibus excolitur
 „utraque *Styria*. Horum olim perma-
 „gnam expertus sum benignitatem, &
 „non minorem hodie, qui domum pro-
 „bationis *Leobensem* incolunt, experiun-
 „tur; illorum autem hîc *Viennæ* domus
 „nostra quotidie singularem experitur,
 „quâ ut plurimum in suarum persona-
 „rum sustentatione se adjuvari sentit. Ita
 „hoc ipsum aliquâ exteriori grati animi
 „signi-

„significatione profiteri gessit,, &c. LA-
MORMAINVS.

Sicquè ALVAREZ de PAZ. è SOCIETA-
TE JESV Scriptor illuminatissimus, s. BE-
NEDICTVM *omnium sanctarum Religionum*
Patriarcham, ac specialiter SOCIETATIS
JESV Patrem sanctissimum appellat; & me-
ritò, non solùm, quia s. IGNATIVS vi-
tæ suæ spiritualis, Societatisquè funda-
menta jecit apud BENEDICTINOS, sub
manuductione JOANNIS CLANONII,
atque (utì testatur MARCVS ANTONIVS
SCIPIO) in monte SERRATO tunicam
nigram (quæ cum superpellicio habitus
BENEDICTINORVM Clericalis est) ac-
cepit; sed & ob plura ab Ordine s. BE-
NEDICTI SOCIETATI JESV donata
Collegia &c. &c.

140. Nunc Candide Lector ex proba-
tò satis hòc antecedente: SCHOLÆ BE-
NEDICTINORVM *sunt antiquiores omnium*
aliorum Ordinum scholis, ex hòc anteceden-
te (inquam verbis Ezech. 7.) fac conclusio-
nem; ergo, Et hòc titulò BENEDICTINI
in Disputationibus precedunt omnes, etiam
Canonicos Regulares Ordinis s. AVGVSTINI.
Si

Si quis minùs gnarus modernas BENE-
 DICTINORVM scholas publicas vel emi-
 nùs lustrare cupiêrit, videat P. EGGER *Id.*
Ord. Hierarch. Benedict. l. 1. p. 3. Si & Ju-
 niorum Scriptorum notitiam exposcis,
 vid. BERNARD. PEZ *ep. apol. ep. X.* ubi
 anno 1600, usque ad 1715. enumerat
 559. omissis multis aliis, quorum noti-
 tiam habere non potuit, quibus, si adjun-
 xeris eos, qui ex post scripsêre, numerum
 istum justè augebis.

Colliget etiam ex his discretus Lector,
 in Ordine S. BENEDICTI non esse nul-
 lum studiorum & talentorum usum, vi-
 tam BENE DICTINORVM præter Missam
 & chorum, non esse otiosam, nec videri
 commodiorem, quàm ut sufficiat ad vin-
 cendas tentationes, uti probrosè objicit
 de vitæ statu deliberanti ANONYMVS
 quidam è S. JESV Scriptor in suò libellò
 (*Cura salutis*) intitulatò, *Viennæ* primùm
 editò, anno 1714. demùm anno 1716. Co-
 loniæ recusò.

141. OBJICIES. Cum PELLIZ. *l. n. 127.*
cit. in Confessibus literariis PP. *Dominica-*
ni præcedunt quoscunque *Regulares*, tam
 Men-

Mendicantes, quàm non mendicantes, etiam MONACHOS, etiam Clericos Regulares, etiam ipsos Canonicos Regulares; ergo BENEDICTINI non præcedunt.

Resp. Si ob excellentiam scholæ PP. *Dominicanis* concedenda sit præcellentia in Congressibus literariis, BENEDICTINI, utpotè plerique eandem scholam sectantes, in reverentiam D. THOMÆ Theologorum SOLIS (quamvis is in monte CASSINO educatus, primam eruditionis suæ lucem à BENEDICTINIS hauserit) non multùm adversabuntur; quia autem *Dominicani* ipsi non ambiunt præcedere BENEDICTINOS, etiam in Disputationibus, sed contenti sunt ordinatione & constitutione CLEMENTIS VIII. *inter cætera, & Const. pretiosus, emanatâ à SSmo Domino nostro BENEDICTO XIII. anno 1727. Sept. Calend. Jun. quibus adjudicatur* ipsis præcedentia *supra cæteros Mendicantium, aliorumquè Ordines, ita, ut primi & immediati post antiquos Ordines Monachales locum NB. in omnibus primum, honorabiliorem & digniorem obtinere debeant. Quæ particula, omnibus, intelligitur, uti dictum n. 130.*

supra

P

hinc

hinc rectè negatur Antecedens juxta BORD.
Theatr. præc. n. 232.

142. DICES. *Canonici Regulares Doctorem habent s. AVGVSTINVM, & scholam PETRI LOMBARDI, Magistri sententiarum, ergo deberur ipsis præcedentia. Resp. s. AVGVSTINVM Canonici Regulares, ut Doctorem non magis habent, quàm PP. Dominicani, imò minùs, quia illi s. AVGVSTINI regulam tantummodò sequuntur, Dominicani autem præter regulam cum D. ANGELICO omnem ejus doctrinam.*

PETRVS LOMBARDVS, esto, fuerit *Canonicus Regularis*, floruit sub ALEXANDRO III. anno 1181. defunctò, aliquot jam sæculis ante ipsum BENEDICTINI erexere & habuere scholas, ut jam dictum. Unde negatur consequentia.

143. Abjiciantur nunc tandem ista COMMENTATORIS cornua, in caput proprium reflexa. Audiatur CACCIALVPVS in suo *conf. col. 7. DD. Canonicos Regulares sic alloquens: deponatis ergo stimulum præcedentia vestra, quæ meò Judiciò defendi non potest, ne pertinacia transeat in ambitionem, à quâ hæctenus potuerunt excusare vos rationes inductæ pro vobis.*

Atque

Atque hæc pro nunc de favorabili quidem, tamen etiam odiosâ hâc materiâ, ad avertendum commune contra BENEDICTINOS præjudicium, dixisse sufficiat, quamvis dicendorum aliàs suppeditetur copiosa materia, non nisi â provocatô ulterius diffundenda.

Protestamur cum MABILLONIO *fol. 56.* nos non ambitione honoris, aut præcedentiæ indebitæ, sed amore veritatis, & ad tela Adversariorum præsumptuosè in BENEDICTINOS jacta, religiosô moderamine inculpatæ tutelæ observatô, retundenda, in arenam descendisse. - - Confidimus hâc disputatione, amicitiam, quæ Deô secundante inter *Canonicos Regulares* & BENEDICTINOS aliàs floruit, non temeratum, sed potius redintegratum iri. Hôc animô, & finaliter ad majorem Dei

(primæ & æternæ veritatis) gloriam,

quæ

scripsi, scripsi.

✠ (o) ✠

P 2

IN-

INDEX
TITVLORVM.

CAPVT I.

De antiquitate utriusque
Ordinis.

- §. I. Ostenditur, ORDINEM S. BENEDI-
CTI esse antiquiorem, pag. 3
- §. II. Solvitur objectio ex Conciliis desum-
pta, pag. 23
- §. III. Solvitur objectio ex Breviario pe-
rita. pag. 34
- §. IV. Solvitur objectio ex antiquitate re-
gulæ desumpta, pag. 43
- §. V. Canonici Regulares non derivan-
tur à S. AVGVSTINO, pag. 64
- §. VI.

Index Titulorum.

- §. VI. *Unde Canonici Regulares habeant
suum habitum?* pag. 75
- §. VII. *An Ordo Canoniorum Regula-
rium trahat suam originem ab Apo-
stolis?* pag. 89

CAPVT II.

De Clericatu Ordinis SS. P. BE- NEDICTI.

- §. I. *Ostenditur, ORDINI BENEDICTI-
NO competere per se Clericatum,* pag. 104
- §. II. *Alia probatio exponitur,* pag. 116
- §. III. *Solvuntur objectiones,* pag. 124
- §. IV. *Alia objectio diluitur,* pag. 131
- §. V. *Solvitur objectio ex jure Canonico pe-
tita,* pag. 147

CAPVT III.

ANPRÆCEDENTIA BENEDICTI- NIS, an *Canonicis Regularibus* fit debita?

- §. I. *Statuitur & probatur Conclusio,* pag. 154
- §. II.

Index Titulorum.

- §. II. *Expenditur antiqua consuetudo quoad*
PRÆCEDENTIAM, pag. 159
- §. III. *WINDESEMENSES an etiam I. A-*
TERANENSES? pag. 167
- §. IV. *BENEDICTINI sunt in possessione*
PRÆCEDENTIÆ *super* Canonicos
Regulares non Lateranenses, pag. 176
- §. V. *Objectiones residuæ diluuntur,* pag. 188
- §. VI. *Specialiter de PRÆCEDENTIA in*
Disputationibus, pag. 201



Errata sic corrige.

Pag.	Lin.	Pro	Lege.
2.	23.	parium per.	parumper.
8.	14.	Tuinensi.	Ticinensi.
15.	12.	Rattenborn.	Kattenborn.
16.	10.	novi.	Novi.
16.	13.	- - -	cum conjuge.
21.	9.	Disq. 8.	Disq. 3.
21.	16.	Amböfio.	Amböesio.
31.	9.	post Benedi- ctinis.	etiam aliunde postulatis.
31.	14.	sive.	sancto.
33.	11.	erat.	errat.
35.	1.	multo.	multo.
35.	25.	Cajetanus.	Caëtanus.
43.	11.	repetunt.	repetent.
45.	7.	pontificium.	pontificiam.
45.	15.	58.	258.
61.	24.	Aimonius.	Aimoinus.
66.	21.	adnotatâ.	adnotata.
67.	19.	pifonio.	Pinfonio.
69.	20.	Paulinus.	Raulinus.
73.	21.	ita.	ista.
83.	24.	Parifios.	Parifis.
91.	20.	Orientali.	Occidentali.
94.	16.	Sportuliis.	Sportulis.
112.	6.	Finckensis.	Finckeneis.
113.	13.	Borea.	Boreæ.

Pag.


Pag.	Lin.	Pro	Lege.
115.	26.	Tuiliensis.	Tuitiensis.
126.	26.	Bellizarium.	Pellizarium.
128.	20.	55.	56.
132.	13.	- - -	initiati non sunt.
142.	9.	Monachi.	Monachorum.
152.	7.	Marianum.	Marinianum.
163.	23.	cum ord.	& ordo.
164.	17.	7.	17.
169.	ult.	inter.	in
173.	25.	debet aliis.	debet ab aliis.
178.	13.	Turnis.	Furnis.
191.	19.	240.	270.
193.	ult.	inferius.	inferius.
208.	4.	Ecclesiæ.	Ecclesiâ.
221.	16.	Aquicinetini.	Aquicinctini.
224.	7.	- - - -	ab anno.


*Reliqua prudens Lector faciliè
emendabit.*




Page	Text	Page	Text
111	Tullianus	26	Tullianus
126	Bellianus	26	Bellianus
128	20	27	
132	13		
142	9		
172	7		
162	23		
164	17		
169	11		
173	27		
178	13		
191	19		
193	11		
208	4		
211	10		
213	7		

t.
n.
s.








1874

1874





Th
4931